Lange, Wilh.

Quaestiones in Aristophanis

Thesmophoriazusas.

LGr
A716t
.YL

QUAESTIONES

IN

ARISTOPHANIS THESMOPHORIAZUSAS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS LANGE

FLENSBURGENSIS.

236040.
26.9.29
Germany

GOTTINGAE 1891.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
U. de Wilamowitz-Moellendorff prof.

Examen rigorosum habitum est a. d. IV. Id. Decembr. MDCCCXC.

CAROLO DILTHEY

HERMANNO SAUPPE

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestionesinari00lang

I.

DE HELENAE PARODIA.

In parodiam Aristophanis inquisiverunt Taeuber[1]), W. Ribbeck[2]) J. van Leeuwen[3]) atque prae ceteris accurate W. H. van de Sande Bakhuyzen[4]), qui singulos locos commentario illustrandos curavit. Tamen non superfluum videtur esse eandem materiam denuo novaque proposita ratione tractare; nam illi cum omnes quae in Aristophanis fabulis insunt parodias comprehendentes maius onus subissent neque in singulis rebus tantum studii ac diligentiae collocare possent, quantum merentur, satis habuerunt, ea quae poeta comicus e tragoediis desumpsit vel ipse ad tragicorum similitudinem effinxit eruisse, ipsam vero parodiae artem et rationem non tetigerunt. Nos unam Thesmophoriazusarum fabulam in quaestionem vocaturi sumus; itaque cum partem solum oneris susceperimus, maiorem diligentiam ad sustinendam eam adhibere nobis licebit.

Suo iure is qui parodias Thesmophoriazusarum excutere vult, initium faciet ab Helenae parodia. Nam cum ceterae quae irridentur tragoediae omnes perierint, Helenam vero superstitem esse gaudeamus, illa sola cum parodia Aristophanea comparata viam ostendere

---

[1]) De usu parodiae apud Aristophanem, progr. Joachimsthal. gymn. Berol. 1849.

[2]) Z. f. d. G. XVII 321—348, Berl. 1863; idem in appendice Acharnensium editionis, Lipsiae 1864.

[3]) De Aristophane Euripidis censore, Amstelod. 1876.

[4]) De parodia in comoediis Aristophanis, Utrecht 1877.

potest, quam in reliquis quoque parodiis tractandis feliciter ingrediemur.

Immutatam aliquam tragoediae partem in comoediam transferre nequivit Aristophanes. In unum idque exiguum cogi opus erat quae in tragoedia satis magno spatio distabant, Menelai adventus, agnitio, fuga. Summa arte Aristophanes id assecutus est. Nam cum ei tres solum personae ad agendum praesto essent, Euripides, Mnesilochus, mulier Γ[1]), at in tragoedia sex exstarent, Menelaus, Teucer, Theoclymenus, Helena, Theonoe, anus, omnes fere personas tragicas callidissime servavit, Menelaum cum Teucro, Theonoen cum anu coniungens ita ut Menelaum etiam Teucri verbis utentem faceret — quod eo facilius fieri poterat, quia in tragoedia persona Teucri merum est *πρόσωπον προτατικόν* et partes eius cum Menelai prorsus consentiunt —, anui autem Theonoes nomen daret. Quod ut clarius demonstretur, eos versus qui ex Helena immutati desumpti sunt enumerare quaeque aut in tragoedia aut in comoedia eos pronuntiet persona addere liceat.

Thesm.			Helena	
855	*Κηδ.*	*Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί*	*Ἑλ.*	1
		ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον		
		λευκῆς		
859		*ἐμοὶ δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος*		16
		Σπάρτη, πατὴρ δὲ Τυνδάρεως		
862		*Ἑλένη δ' ἐκλήθην . . . . . .*		22
864		*ψυχαὶ δὲ πολλαὶ δι' ἔμ' ἐπὶ Σκαμανδρίαις*		52
		ῥοαῖσιν ἔθανον		
866		*κἀγὼ μὲν ἐνθάδ' εἰμί· ὁ δ' ἄθλιος πόσις*		49
868		*τί οὖν ἔτι ζῶ;*[2])		
871	*Εὐρ.*	*τίς τῶνδ' ἐρυμνῶν δωμάτων ἔχει κράτος*	*Τευκρ.*	68
878	*Κηδ.*	*Αἴγυπτον. Εὐρ. ὦ δύστηνος οἷ πεπλώκαμεν*[3])	*Μεν.*	461
886	*Κηδ.*	*τόδ' ἐστὶν αὐτοῦ σῆμ'*[4])	*Γραῦς*	466

[1]) Numeri et mulierum et versuum sunt editionis Meinekianae stereot., Lipsiae 1860.

[2]) *τί δῆτ' ἔτι ζῶ* Euripides.

[3]) *Αἴγυπτος; ὦ δύστηνος, οἳ πέπλευκ' ἄρα* Euripides.

[4]) *μνῆμα* Euripides.

Thesm.		Helena	
905 *Εὐρ.*	*ὦ θεοὶ τίν' ὄψιν εἰσορῶ;*[1])	*Τευκρ.*	72
906 *Κηδ.*	*σὺ δ' εἰ τίς; αὐτὸς γὰρ σὲ κ᾽μὶ ἔχει λόγος*	*Ἑλ.*	558
907 *Εὐρ.*	*Ἑλληνὶς εἰ τις ἢ ᾽πιχωρία γυνή;*	*Μεν.*	561
Κηδ.	*Ἑλληνίς· ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.*	*Ἑλ.*	
Εὐρ.	*Ἑλένῃ σ᾽ ὁμοίαν δὴ μάλιστ᾽ εἶδον, γύναι.*	*Μεν.*	
Κηδ.	*ἐγὼ δὲ Μενελέῳ σ᾽ . . . . . .*	*Ἑλ.*	
Εὐρ.	*ἔγνως ἄρ᾽ ὀρθῶς ἄνδρα δυστυχέστατον.*	*Μεν.*	
Κηδ.	*ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας*	*Ἑλ.*	

Haec sunt quae Aristophanes ad verbum imitatus in suum usum convertit. Numeri versuum tragicorum quos apposui optime docent, quam artificiose comicus versibus vel versuum fragmentis e diversissimis tragoediae locis congestis scenam plane perpolitam certisque finibus circumscriptam composuerit. Habemus totius fere tragoediae specimen in paucos versus coactum, fabellam fabulae insertam.

Apparet poetam non omnia quae ei ad illam scenam conficiendam opus erant, ex Euripide desumere potuisse. Quaedam ipsi adicienda erant; sed quaecumque adiecit tam mira diligentia ad dictionem Euripideam accommodavit, ut si Helena perisset, valde dubitaremus, quos potissimum versus inter tragoediae fragmenta reciperemus. Omnes fere loci quos ipse composuit Aristophanes cum genuinis quibusdam versibus Euripideis comparari possunt. Talem in modum v. 874 *Πρωτέως τάδ' ἐστὶ μέλαθρα* respondet versui Helenae 460 *Πρωτεὺς τάδ' οἰκεῖ δώματα*[2]); vere tragica et Euripide digna sunt

v. 869 sq. *ἀλλ' ὥσπερ αἰκάλλει τι καρδίαν ἐμήν.*
μὴ ψεῦσον ὦ Ζεῦ τῆς ἐπιούσης ἐλπίδος[3]).

v. 877 *ποίαν δὲ χώραν εἰσεκέλσαμεν σκάφει;*

---

[1]) *ὦ θεοί, τίν' εἶδον ὄψιν* Euripides.

[2]) Mutavit verba Euripidea ni fallor Aristophanes cum propter metricam rationem tum ut genitivi forma *Πρωτέως* usurpata facilius mulier *Πρωτέας* (v. 876) intellegere posset.

[3]) Schol. 870 non nisi ad imperativi formam insolitam comparat versum Sophocleum *μὴ ψεῦσον, ὦ Ζεῦ, μὴ μ' ἔλῃς ἄνευ δορός.* Temere Fritzsche in Thesmoph. editione p. 336 edixit »neminem dubitaturum esse, quin illum ipsum Sophoclis versum hac parodia rideret Aristophanes«. Verba Aristophanea et Sophoclea plus inter se differunt quam ut de parodia cogitare liceat.

v. 881 *αὐτὸς δὲ Πρωτεὺς ἔνδον ἔστ' ἢ 'ξώπτιος;*[1])
v. 885 *ποῦ δ' ἐτυμβεύθη τάφῳ;*
v. 904 *ἀφασία τίς τοί μ' ἔχει*[2])
v. 900 *οὐ γὰρ γαμοῦμαι σῷ κασιγνήτῳ ποτέ*[3])
v. 903 *αἰσχύνομαί σε . . . .*[4])
v. 913 sqq. *λαβέ με λαβέ με πόσι, περίβαλε δὲ χέρας κτλ.*[5])
v. 872 sq. *ποντίῳ σάλῳ*
κάμνοντας ἐν χειμῶνι καὶ ναναγίαις.
v. 889 *τί δὴ σὺ θάσσεις τάσδε τυμβήρεις ἕδρας*[6]);
v. 895 *βάντζε τοὐμὸν σῶμα βάλλουσα ψόγῳ.*
v. 902 *στρέψον ἀνταυγεῖς κόρας.*

Quo colore Euripideo pellectus A. Nauck[7]) quos postremos indicavi quattuor locos inter adespota tragicorum fragmenta recepit. Neque tamen dubitandum est quin ipse Aristophanes omnia illa e suo addiderit, non certum aliquem locum sed universam dictionem Euripidis imitatus. Id aliis locis, imprimis vv. 877, 885, 904, 913, satis demonstratur, quibus nemo de tragico quodam fonte cogitabit. Neque Aristophanis ingenio et arti maior laus tribui poterat quam quod Nauck ea quae comicus non nisi ad tragicorum similitudinem composita esse volebat, vere tragica esse existimavit. —

Vides quanta diligentia poeta in imitanda tragicorum dictione verborumque supellectile comparanda usus sit. Quod autem ad ipsam scenae structuram attinet, illud primum dicendum est, v. 901 sq. *ἀναγνώρισιν* quae vocatur ab ipso Aristophane, sed ad maximam

[1]) cf. Hel. 465, 467; Med. 624; Bakhuyz. l. a. 124 sq.

[2]) cf. Hel. 549 sq.: *ὡς δέμας δείζασα σόν, ἔκπληξιν ἡμῖν ἀφασίαν τε προστίθης*; Iph. Aul. 837: *ἀφασία μ' ἔχει, γύναι*; Herc. 515. *ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει.*

[3]) cf. Phoen. 1673.

[4]) cf. Hec. 968.

[5]) cf. Orest. 1044: *περιβαλεῖν χέρας*; Hel. 627 sq.: *ἔλαβον ἀσμένα πόσιν ἐμόν, φίλαι, περί τ' ἐπέτασα χέρα*; 634: *περὶ δὲ γυῖα χέρας ἔβαλον.* — De verborum repetitione et metrica ratione recte Taeuber l. a. p. 36, qui ex Helena comparat etiam 650 sq., 664, 670, 684.

[6]) cf. Hel. 797: *ὁρᾷς τάφου τοῦδ' ἀθλίους ἕδρας ἐμάς*; 528: *ἧδ' αὖ τάφου τοῦδ' εἰς ἕδρας ἐγὼ πάλιν στείχω*; Herc. 1214: *σὲ τὸν θάσσοντα δυστήνους ἕδρας.*

[7]) Tmragicoru Graecfor. ragmenta ed. sec. Lipsiae 1889 p. 851 sq.

Euripideae rationis similitudinem effictam esse. In tragoedia v. 555 sqq. coniuges inter se agnoscunt ita ut Helena ubi primum in Protei sepulcrum refugit, Menelao faciem suam ostendat. Quo recognitionis genere cum uti nollet poeta comicus, ne ipse se occasione iocandi privaret, ornatum Helenae qui in tragoedia posteriore loco v. 1186 sqq. aliasque ob causas usurpatur, in hanc ipsam transtulit scenam Mnesilochumque *φάρει καλυπτόν*, capite scilicet obvoluto in ara sedentem finxit. Itaque cum per quinquaginta versus iocandi cupiditatem implevit, v. 901 *ἀναγνώρισις* Euripide digna[1]) fit eo quod Mnesilochus-Helena nomen Menelai tanquam absentis pronuntiat.

Neque quod ad scenicum attinet apparatum comoedia cum tragoedia non conspirat. Thesmophorii aedes domum Theoclymeni repraesentat; ara in quam Mnesilochus refugit, vice fungitur sepulcri, in quo Helena in tragoedia assidet. Ornatus Mnesilochi[2]) et Helenae[3]) quam maxime inter se consentiunt. De Euripidis in Thesmophoriazusis habitu nullam mentionem facere videtur Aristophanes; at in Helena permulti inveniuntur loci, e quibus quo incesserit Menelaus ornatu colligere liceat[4]). Apparet eum in tragoedia ut naufragum velo indutum in scenam prodisse. Atqui nemo dubitabit quin Aristophanes ornatum tragicum accuratissime retinuerit. Neque enim verisimile est eum occasionem tale Euripidis inventum perstringendi praetermissurum fuisse. Sed etiam claris dummodo recte intellegantur verbis poeta se vestem illam tragicam suo quoque Menelao tribuisse profitetur. Thesm. 934 sq. mulier *Γ* postquam Euripides-Menelaus prytanis adventu propulsus

---

[1]) cf. simillimam recognitionis rationem Iph. Taur. 769 sqq.

[2]) Thesm. 890.

[3]) Hel. 1186 sqq.

[4]) Hel. 416: *τῆς ἐμῆς δυσχλαινίας.*
421: *οὔτ' ἀμφὶ χρῶτ' ἐσθῆτες· αὐτὰ δ' εἰκάσαι*
πάρεστι ναὸς ἔκβολ' οἷς ἀμπίσχομαι·
514 sq.: *ἄγριος δέ τις*
μορφὴν ὅδ' ἐστίν
554: *καὶ μὴν στολήν γ' ἄμορφον ἀμφὶ σῶμ' ἔχεις*
1079: *τάδ' ἀμφιβλῆστρα σώματος ῥάκη*
1204: *Ἄπολλον ὡς ἐσθῆτι δυσμόρφῳ πρέπει*
1280 sq.: *ἀντὶ τῆς δυσχλαινίας ἐσθῆτα λήψει.*

est exclamat: *νὴ Δί', ὡς νῦν δή γ' ἀνὴρ*
ὀλίγου μ' ἀφείλετ' αὐτὸν ἱστιορράφος.

Frustra scholiastae vocem *ἱστιορράφος* explicare conantur: *ἐπεὶ ἄνω αἰγυπτιάζειν αὐτοὺς ἔφη, οἱ δὲ Αἰγύπτιοι λινοποιοί εἰσιν — ὁ πανοῦργος, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τὰ ἄρμενα ῥαπτόντων.* Ridet Aristophanes Menelai ornatum Euripideum, cum mulierem et ad vestem quam Pseudomenelaus induit et fortasse ad vocabulum *μηχανορράφος*[1]) saepius ab ipso Euripide usurpatum[2]) alludentem faciat. Solum Fritzschium[3]) hanc rectam interpretationem reperisse video; quem Enger[4]) ut facere solet mera adversandi libidine frustra refellere studet.

Itaque cum pleraque ab Aristophane ex ipsa tragoedia repetita, multa ad miram tragoediae similitudinem ficta et addita esse viderimus, quemadmodum poeta seria illa in ludicra converterit quaeramus. Ac summa quidem vis comica in eo vertitur, quod tragicae partes per actores comicos sustinentur, deinde quod ridicula verba severis saepe ac subito immixta et sermonem et argumentum tragicum ad risum deflectunt. En Helenae qua nulla unquam mortalis femina fuit pulchrior partes agit Mnesilochus vetulus, *τὰς γνάθους ὑβρισμένος* — Menelai regis incliti personam sustinet Euripides cuius obscuram originem Aristophanes ut semper hoc quoque ipso loco ridet[5]); mulieri *Γ* morosae quae revera partes anus ianitricis stomachosae[6]) agit, nomen Theonoes[7]), quae unica est tragoediae persona venusta, imponitur.

Hanc igitur parodiae vim quam in ipsis personis inesse vides salse auxit poeta eo quod saepius postquam severum et tragicum initium fecit orationis, ridiculum atque inopinatum facit finem illusionem quam vocant crudeliter perturbans:

---

[1]) Naberus probante Velseno (Ar. Thesm. ed. Lipsiae 1883) poetam ad verbum *ἱστοριοῤῥάφος* alludere arbitratur.

[2]) cf. Andron. 445 *μηχανῥάφοι κακῶν* item de Menelao dictum; eodem loco v. 911, 1116.

[3]) Aristoph. Thesmoph., Lipsiae 1838.

[4]) Aristoph. Thesm. cum scholiis, Bonnae 1844.

[5]) Thesm. 910.

[6]) Hel. 437 sqq.

[7]) Vide quam lepide Aristophanes ipsam mulierem nomen suum ieiunum *Κρίτυλλα Ἀντιθέου Γαργηττόθεν* fabuloso Theonoes nomini opponentem faciat.

v. 856: ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς νοτίζει — μελανοσυρμαῖον λεών.
v. 902: γύναι τί εἶπας; στρέψον ἀνταυγεῖς κόρας.
αἰσγύνομαί σε — τὰς γνάθους ὑβρισμένη[1]).

Prae ceteris autem parodiae rationi optime servit persona mulieris Mnesilochum custodientis. Eius auxilio Aristophanes et affinem et Euripidem identidem de cothurnis detrahit parodicoque aedificio quasi fastigium imponit, ieiuna mulieris verba elato ceterorum sermoni facete opponens. Singula monstrare longum est. Quisquis scenam praeclaram diligenter perlegit ipse perspexit.

Ceterum quod ad illius aetatis rem librariam attinet illud pro certo affirmari potest, Aristophanem solum memoria nisum tam accurate Helenam imitari non potuisse; itaque opus est ei iam paucis mensibus postquam tragoedia docta est exemplar manuscriptum in manibus fuisse. —

II.

DE ANDROMEDAE ET PALAMEDIS PARODIIS.

In tractanda Andromedae parodia non ut in parodia Helenae superstite tragoedia adiuvamur. Cautissime igitur diiudicandum est quae sint Euripidea, quae ab Aristophane addita.

Hanc autem fere, ut quaestiunculae nostrae summam faciamus, rationem a comico in Helenae parodia abhibitam repperimus: Aristophanes quam maxime poterat genuinas tragoediae partes retinuit, ita tamen ut non ordinem curaret sed e diversissimis locis congereret quae sibi usui esse possent. Quae autem ad scenam conficiendam lacunasque explendas deerant, ipse ad summam Euripidei sermonis similitudinem conformata adiecit. Perspicuum est inde ei qui Euripidea ex Andromedae parodia eruere tragoediaeque argumentum restituere conatur, magnas difficultates oriri.

[1]) Eadem ratione in v. 910, qui adhuc nondum sanatus est, primis verbis e tragoedia repetitis ludicrum aliquid addi videtur.

Certe tironis vires longe superant neque gravius quicquam de eis mutare audeo quae Fritzsche[1]), Welcker[2]), Taeuber[3]), Nauck[4]), Robert[5]), Bakhuyzen[6]), Wecklein[7]) de Andromeda Euripidea statuerunt.

Priusquam autem ad ipsam parodiam tractandam accedam, breviter de Thesm. vv. 1015—1055 inter actores dispertiendis disputandum est. Nam cum R^2 et G vv. 1015—1021 Euripidi tribuant — prima manus in R personae notam omittit —, C. Beer[8]) cuius sententiam etiam a Bakhuyzeno[9]) comprobari video, omnes inde a 1015 versus a Mnesilocho-Andromeda pronuntiari oportere recte censuit. Neque illam rem denuo in quaestionem vocarem, nisi Velsen in editione vulgatam retinuisset distributionem.

Scytha v. 1007 in domum abiit ut stoream sibi compararet. Mnesilochus de misera conditione verba facere incipit (1008), cum repente Euripides Persei persona suscepta praetervolat vel potius praetercurrit volantis gestus ludicrum in modum imitans (1009) atque tacite iterum abscedit. Neque enim eum iam v. 1010 in scena adesse aperte ostendunt verborum tempora quibus Mnesilochus utitur: *ὑπεδήλωσε*, *ἥξει*, *παρέπτετο*. Quare autem Euripides omnino abscesserit, si v. 1015 rursus in scena adest, difficile est intellectu. Sed fortasse dixerit quispiam eum vv. 1015—1021 non in scena sed post eam recitare. Nihil igitur relinquitur nisi ut ex ipsis illis versibus quaeramus causas, quibus nostra sententia nitatur. Scholiasta testante verba *κλύεις κτλ.* verbis quibusdam in tragoedia ab Andromeda, cuius partes in comoedia Mnesilochus, non Euripides agit, recitatis respondent. Sed ne hanc quidem rem magni momenti esse concedo, cum in Helenae parodia viderimus, Aristophanem saepius Euripideos versus aliis atque in tragoedia personis tribuere non dubitare.

---

[1]) l. a. 494—517.
[2]) *Griech. Trag. II 644—668.*
[3]) l. l. 37 sq.
[4]) l. a. 392 sqq.
[5]) *Arch. Ztg. 1878.*
[6]) l. l. p. 126—134.
[7]) *Sitzungsber. Bayr. Akad. 1888 I 87 sqq.*
[8]) *Über die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, Leipzig 1844 S. 166.*
[9]) l. a. 127 sq.

Certiorem ni fallor causam praebent antecedentia verba. In eis Aristophanes eadem ratione iocatur in qua magnam parodiae vim inesse supra cognovimus: sollemne facit initium ab ipsis tragoediae verbis et subito aberrat a tragica via quam paulo ante ingressus est, in locum verborum Euripidis suum fetum supponens: *τὸν Σκύθην λάθοιμι.* Si autem et Helenae et Andromedae parodiam percensueris — excepta Echus scena 1056—1097 quae per se infra tractanda erit —, Euripidem semper tragicam personam sollemniter et fideliter ut aequum est servare neque ipsum in musam suam saevire facile videbis; id reliquae curant personae, mulier *Γ*, Scytha, Mnesilochus. Haec quidem causa satis valere mihi videtur ut vv. 1015—1021 Mnesilocho, non Euripidi tribuamus. Quod cum fecerimus codicum quoque lectio *ἀπέλθοιμι* (v. 1017) non indiget correctione verbaque *ὡς τὴν γυναῖκα μ' ἐλθεῖν* iam demum, si a Mnesilocho recitantur (cf. 1216) suo loco posita sunt risumque movent. Facile versus 1015—1021 a grammatico quodam qui vocabulo *ἥξει* v. 1014 pellectus Euripidem statim in scenam prodire putabat, illi per errorem tribui poterant. —

De Andromedae monodia quae Beerii sententia comprobata versus 1015—1055 comprehendit satis caute iudicavit Nauck[1]): »hoc canticum — maximam partem ex Euripidea tragoedia expressum videtur. — Non audemus tamen quid Aristophanes mutaverit definire«. Neque ego ad tantam audaciam procedo ut certi aliquid repperisse mihi videar, cum doctissimus ille homo graecaque tragoedia eruditissimus frustra quaesiverit. Satis habeo e cantico novum afferre exemplum quo quanta sit licentia parodicae rationis Aristophanis optime demonstretur. Nam cum in Helena poetam histrionum solum verba commutasse aliisque pronuntianda dedisse viderimus, hoc loco teste scholiasta[2]) etiam chori verba ipsi Andromedae tribuit (Thesm. 1022 sq.). —

Finito cantico Euripides Echus personam suscipit. Ambigitur utrum in tragoedia Echo in scena apparuerit an post illam non

---

[1]) l. a. p. 396.

[2]) schol. Thesm. 1022: *παρὰ τὸ* (l. *τὰ*) *τοῦ χοροῦ ἐν Ἀνδρομέδᾳ-ἄνοικτος ὃς τεκών σε κτλ.*

nisi modestas egerit partes. C. Robert[1]), Hartungium[2]) secutus non solum in scenam illam prodisse verum etiam prologum tragoediae iambicum recitasse statuit. Neque tamen sententiam suam mihi probavit. Nititur Robert scholiastae ad v. 1065 adnotatione: *τοῦ προλόγου Ἀνδρομέδας εἰςβολή* quae verba non ipsum prologum[3]), sed »primum post prologum locum« significare existimat. Neglexit Robert scholiastam paulo post ad v. 1070, scilicet ad verba cum prioribus artissime coniuncta »*καὶ ταῦτα ἐκ τοῦ προλόγου*« adnotare. Si autem grammaticus priore adnotatione non ipsum dramatis principium, sed primum post prologum locum significare voluisset, dubito an in posteriore quoque scholio clarioribus verbis fuerit usurus. Sed contra nos dicit Robert, spectatores per monodiam et choricum vix de fabulae argumento certiores fieri potuisse. At revera quaedam vestigia talis expositionis restare videntur. In monodiae initio statim ipsa Andromeda profitetur nomen suum [Nauck fragm. 115, Thesm. 1070]: *τί ποτ' Ἀνδρομέδα περίαλλα κακῶν μέρος ἐξέλαχον κτλ.*, id quod superfluum esset si spectatores per iambicum prologum antea certius aliquid de ea accepissent. Praeterea eae tragoediae partes quas Aristophanes Thesm. 1032 sq., 1039 expressit chorique verba (Nauck fragm. 120) ostendere possunt qua ratione fabulae argumentum certe contra morem Euripideum cum spectatoribus possit communicari. Valde igitur dubito num tragoedia Euripidea a prologo iambico ab Echo recitato inceperit. Si autem prologum ei abrogamus, non est quod omnino eam apud Euripidem in scenam prodisse existimemus[4]).

Sed quocumquemodo res in tragoedia se habet, ad comoediam revertor, cum ne de ea quidem inter doctos homines convenit,

---

[1]) l. l. p. 18.

[2]) Euripid. restitutus II p. 344.

[3]) Sententia Welckeri l. a. p. 647.

[4]) Neque verba Aristophanis *ἐν τῷδε ταὐτῷ χωρίῳ ... ξυνηγωνιζόμην*, quibus Robert sententiam suam comprobari putat, neque schol. 1059 *ἐπεὶ εἰςήγαγε κακοστέναχτον τὴν Ἠχὼ ὁ Εὐριπίδης* quaestionem ad certum finem perducere possunt. Etiamsi in scena non apparuit Echo, *ἐν ταὐτῷ χωρίῳ ξυνηγωνίζετο.* Verba *Ἠχώ, λόγων ἀντῳδός* certe tragico tincta sunt colore et ex ipsa fortasse tragoedia commodata; tamen nescimus num etiam in Euripideo dramate ipsa Echo ea pronuntiaverit, cum Aristophanem saepius tragicos versus aliis personis tribuisse supra viderimus.

utrum Echo in scena apparuerit necne. Beer[1]) pro certo affirmat, Echo apud Aristophanem in scenam non prodire; Ribbeck[2]) ad v. 1056 adnotat: »*Jetzt beginnt Euripides seine Rolle hinter der Scene*«. Tamen sive in tragoedia Echo a spectatoribus conspectam esse sive non conspectam esse putamus, comicus certe occasionem novi inventi Euripidei valde perstringendi non praetermisit; is certe Echo Euripideam theatro ostendit neque ut teneram nympham atque venustam sed ut garrulam anum[3]). Si Echo non nisi post scenam egisset, naturae conveniens esset ut Mnesilochus v. 1056 sq. obstupescat admiratione quod ab homine quem non videt salutatur. At quiete v. 1058 respondet Echus salutationi. Itaque statuendum est Euripidem sub Echus persona dormiente Scytha[4]) v. 1056 in scenam prodisse, 1064 vero postquam Mnesilochum quid faceret docuit recessisse et reliqua post scenam egisse. —

Satis accurate definire possumus quae Aristophanes ad hanc scenam conficiendam e tragoedia sumpserit. Non sunt multa, cum iam v. 1073 poeta Mnesilochum impatienter monodiam in medio verborum contextu[5]) abrumpentem faciat. Quae usque ad finem v. 1097 sequuntur solum ad Echo Euripideam perstringendam Scythamque ludificandum composita sunt. Prae ceteris tragici sunt vv. 1065—1072[6]) quos immutatos ex Andromeda in comoediam translatos esse schol. 1065 et 1070 testatur. Ex eis quae antecedunt e colloquio scilicet Mnesilochi et Euripidis 1056—1064, praeter verba *Ἠχώ, λόγων ἀντῳδός* fortasse tragica est salutatio v. 1016 *χαῖρ᾽ ὦ φίλη παῖ*. Id inde maxime colligas quod illa verba parodiae more ex improviso eis quae sequuntur *τὸν δὲ πατέρα Κηφέα, ὃς σ᾽ ἐξέθηκεν ἀπολέσειαν οἱ θεοί* ad risum detorquentur. Certe Euripideus videtur esse proximus versus 1058: *σὺ δ᾽ εἶ τίς ἥτις τοὐμὸν ᾤκτιρας πάθος;* quem Barnes probante Nauckio[7]) cum

[1]) l. a. p. 78.
[2]) *Acharn.* p. 291.
[3]) Thesm. v. 1073: *ἀπολεῖς μ᾽ ὦ γραῦ.*
[4]) v. 1081 demum expergiscitur.
[5]) Schol. 1072: *λείπει »μέλλουσα τυχεῖν«.*
[6]) Nauck fragm. 114, 115.
[7]) Nauck fragm. 127.

versu 1110 coniunxit. Sed rectissime contra eos dicit Bakhuyzen[1]), ambos versus nullo alio vinculo inter se cohaerere, nisi quod verbum οἰκτίρειν in utroque reperiatur. Quod autem ipse versu 1058 revera Echo in tragoedia appellatam esse voluit, errasse videtur. Neque enim verisimilia sunt quae nobis ad comprobandam sententiam persuadere studet, Andromedam vocibus Echus deceptam atque mortalem quendam hominem adesse arbitratam rogasse: σὺ δ' εἴ τίς κτλ. et tum demum falsa se teneri opinione intellexisse. Ne id credamus prae ceteris impedit vocabulum δέ, quod hunc fere postulat sententiarum nexum: Perseus adveniens Andromedam salutat eisdem fortasse verbis quibus in Thesmophoriazusis Echo utitur χαῖρ' ὦ φίλη παῖ malamque eius condicionem miseratus quis sit interrogat. Andromeda nomen suum professa ipsa quoque ut aequum est e Perseo quis sit quaerit:

σὺ δ' εἴ τίς ὅστις τοὐμὸν ᾤκτιρας πάθος;[2]).

Tertiam parodiae partem continent Thesm. 1098—1134; Euripides sub Persei persona Mnesilochum-Andromedam liberare conatur. Hoc quoque loco difficillimum est Euripidea ab Aristophaneis secernere, quod comicus non solum ut facere solet locos in tragoedia seiunctos coniunxit[3]), verum etiam permulta ad Euripidis similitudinem expressa addidisse videtur. E tragoedia repetiti sunt 1098—1100[4]) neque non qui statim sequuntur 1101 sq.[5]), quos tamen ex alio Andromedae loco desumptos esse indicat scholiastes. Certe haud magno spatio a vv. 1098—1100 in tragoedia seiuncti fuisse possunt; fortasse eis antecedebant, cum naturae et tragicae indoli sit conveniens ut Perseus simulatque in scenam prodiit spectatores de persona sua certiores faciat. Recitabat igitur fortasse apud Euripidem haud secus atque apud Aristophanem vv. 1001 sq. ad theatrum conversus, cum repente Andromedam aspiciens admiratione obstupefactus exclamat (Thesm. 1115 sq.):

ἔα· τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ καὶ παρθένον
θεαῖς ὁμοίαν ναῦν ὅπως ὡρμισμένην;

---

[1]) l. a. p. 131 sq.

[2]) cf. Helenae parodiam Thesm. 905 sqq.

[3]) Schol. 1098.

[4]) Nauck fragm. 124.

[5]) Nauck fragm. 123.

Genuinum Andromedae locum schol. Thesm. 1105, Maximus in Dion. Areop. II p. 234C, Georg. Pachym. ibid. I p. 564D multo uberiorem servaverunt[1]). Initium solum versuum tragicorum Aristophanes in comoediam transtulit ut parodiam satis artis finibus circumscriberet, eis quae in tragoedia post vocabulum ὁρῶ sequebantur plane omissis. In eorum locum poeta ad complendam sententiam substituit verba καὶ παρθένον θεαῖς ὁμοίαν ναῦν ὅπως ὡρμισμένην quae utrum ipse composuerit an ex alio quodam Andromedae loco sumpserit quaeritur. Negarunt homines docti ea e tragoedia manasse; quod ut facerent maxime movit quod verba ναῦν ὅπως ὡρμισμένην ad similitudinem Herc. 1094 ἰδού, τί δεσμοῖς ναῦς ὅπως ὡρμισμένος-ῆμαι ab Aristophane composita videntur. Tamen concedendum est, neminem dubitaturum fuisse, quin verba illa ex Andromeda sumpta sint si Hercules Euripidea forte perisset. Neque enim si solum Thesmophoriazusarum versum contemplamur negari potest Euripidem optimo iure tali imagine in Andromeda uti potuisse. Quod scholiastes de hoc versu silet, nihil valet, cum aliis permultis locis quibus verba sine dubio e tragoedia sumpta sunt, intempestivum servet silentium. Quod ad antecedentem versum genuina Andromedae verba adnotavit nil nobis persuadere potest nisi illud, verba θεαῖς ὁμοίαν ναῦν ὅπως ὡρμισμένην cum verbis ἔα τίν' ὄχθον κτλ. arte coniuncta non fuisse. Tamen ni fallor haud magno spatio intermisso sequebantur. Perseus simulatque in scenam processit[2]) atque cum spectatoribus pauca de se suaque condicione communicavit[3]), Andromedam conspicit neque vero — nam nox esse fingitur, Thesm. 1065 — vivam virginem sed simulacrum aliquod, παρθένου εἰκώ τινα ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τυκισμάτων κτλ.[4]), marmoreum opus[5]) aspicere sese suspicatur; tum demum cum propius accesserit videt virginem viventem et vincula quibus ad saxum alligata est; quod cum pronuntiet Euripides eum imagine illa utentem facit ex Hercule repetita. Nam vinctum Herculem in Andromedae loco componendo poetae tragico ante oculos versatum

---

[1]) Nauck fragm. 125.
[2]) Nauck fragm. 124.
[3]) Nauck fragm. 123.
[4]) Nauck fragm. 125.
[5]) Ovid Metam. IV 675.

esse, vel verba *λαΐνῳ τυκίσματι*[1]) et *λαΐνων τυκισμάτων*[2]) quae certe non casu utroque loco consentiunt, comprobare possunt. Itaque non Aristophanes sed ipse Euripides Herculis locum imitatus est et verba Thesmophoriazusarum inter cetera tragoediae fragmenta ponenda sunt. Nos autem denuo admiramur comici ingenium quo locos in tragoedia seiunctos lepide copulaverit.

In reliqua parodiae parte scholiastes plane silet nisi quod ad v. 1130 adnotat: *παρὰ τὰ ἐκ Μηδείας*[3]). Hoc quoque loco mirandum est quod homines docti si modo antecedentes versus[4]) ex Andromeda sumptos esse statuerunt, haec parodiae verba inter tragoediae fragmenta recipere omiserunt. Scholiastam in Andromeda Euripidea cum parodia Aristophanea comparanda summa neglegentia usum esse sole clarius est. Quod revera similia verba in Medea exstant, nil impedit ne Euripidem eisdem in Andromeda usum esse credamus. Res haud aliter se habere videtur atque in Herculis loco de quo supra diximus. Non Aristophanes Medeae verba imitatus est, sed ipse Euripides sive inscius sive sciens ea iterum usurpavit. Itaque si primum quidem gradum fecit Nauck Matthiaeum secutus, alterum sc. verba *σκαιοῖσι — ἀναλίσκοις ἄν*[5]) reliquis addere non debuit reformidare.

Quod ad cetera Andromedae fragmenta quae in hac parodiae parte latere videntur attinet, plura fortasse erui possunt quam Nauck[6]) recepit. Vide Bakhuyzenum[7]) qui accuratius de hac re disseruit.

In Andromeda ridenda Aristophanes eadem plane atque in Helenae parodia via et ratione utitur. E diversissimis tragoediae locis particulas congerit ad scenam componendam congestasque, ipse alter Euripides, eis quae de suo ad miram tragoediae similitudinem efficta addit tam arte coniungit, ut commissuras vix reperire possimus.

---

[1]) Herc. 1096 *τυκίσματι* Fixius *τειχίσματι* cod.

[2]) Nauck fragm. 125 *τυκισμάτων* Jacobs *τειχισμάτων* codd.

[3]) Med. 298 sq.: *σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ δόξεις ἀχρεῖος.*

[4]) Nauck fragm. 139.

[5]) Utrum Aristophanes Andromedae locum an Euripides Medeae versum 299 mutaverit, vix diiudicari potest.

[6]) fragm. 127 v. 1; 128.

[7]) l. l. 134 sq.

Haec tragica vel tragicorum similia eodem quo in Helena modo ludicra fiunt. Summa parodiae vis hic quoque in eo est quod comici actores tragicas partes agunt: Euripides senex sustinet Persei personam; Mnesilochus in cruce vinctus Andromedam *παρθένον θεαῖς ὁμοίαν* repraesentat; Echo nympha venusta spectatoribus ut garrula anus ostenditur; *αἱ φίλαι παρθένοι* quas affinis v. 1115 alloquitur scil. *αἱ Θεσμοφοριάζουσαι γυναῖκες* neque *φίλαι* neque *παρθένοι* sunt[1]). Quod ad monstrum attinet, cui Andromeda a Cepheo erat proiecta, quaestio oritur, utrum in tragoedia a spectatoribus conspectum sit necne. Atque Welcker[2]) quidem revera illud per breve temporis spatium theatro monstratum esse coniecit, cuius sententiam novo argumento adstruit Robert[3]) cum dicat: »*Dagegen finden wir den Kopf des κῆτος* — in personarum scilicet imaginibus in pictura Pompeiana repraesentatis[4]) —; *dafs dies in dem Euripideischen Stück sichtbar war, hat schon Welcker vermutet und die von Matthiae mit Recht zusammengestellten Verse*

ὁρῶ δὲ πρὸς τῆς παρθένου θοινάματα
κῆτος θοάζον ἐξ Ἀτλαντικῆς ἁλός

scheinen es zu bestätigen«. Dubitanter igitur ipse Robert de versibus a Matthiaeo coniunctis[5]) iudicat, qui revera nihil ad quaestionem solvendam afferre possunt, cum Tiberii *περὶ σχημάτων*[6]) verba »*ὁρῶ δὲ — θυνάματα*« *ἀντὶ τοῦ εἶδον* aperte ostendant, eos e narratione nuntii cuiusdam manasse. Quod autem *κήτους* imago inter alias tragoediae personas in pictura illa Pompeiana conspicitur, ne hac quidem re mihi persuaderi potest, monstrum in Andromeda Euripidea anni 412 spectatoribus ante oculos positum fuisse. Pictor ille parietarius non omnes tragoediae personas finxit; quodsi personas Minervae Echusque, quae Roberti sententia in scena apparuit, depingere omisit, monstrum, quippe quod in tragoedia magni esset momenti, ex suo addere poterat, etiamsi nunquam in theatro conspexerat. Sed concedamus Pompeianis spectatoribus fortasse monstri

---

[1]) Bakhuyzen p. 128.
[2]) *Griech. Trag.* p. 652.
[3]) l. a. p. 20.
[4]) *Arch. Ztg. 1878, Taf. 3.*
[5]) Nauck fragm. 145.
[6]) Rhet. graeci VIII p. 576.

simulacrum ante oculos positum fuisse; num tam accurate genuinam Euripideae Andromedae speciem in eiusmodi rebus quae solum ad scenicum apparatum pertinent per tempora servatam esse putabimus, ut e tam sera repetitione colligere liceat, quomodo res in tragoedia ab ipso Euripide docta se habuerint?

Sed ad comoediam revertor. Ibi in monstri locum succedunt cum *κόρακες*[1]), quibus misellus Mnesilochus proiectus est, tum custos barbarus, cuius in persona Cephei quoque quasdam reliquias reperias; sicut pater Andromedae in tragoedia Perseum impedire studebat, ne virginem liberatam secum abduceret[2]), ita in comoedia Scytha Euripidem prohibet solutis Mnesilochi vinculis *πεσεῖν ἐς εὐνὴν καὶ γαμήλιον λέχος*. Neque igitur minore cum arte quam in Helena poetam quam plurimas tragoediae personas per tres illas quae in comoedia adsunt reservantem videmus. —

Neque alia atque in Helena ratione tragica ad risum detorquet. Sicuti in Helenae parodia ieiuna verba mulieris *Γ* elato tragoediae sermoni inmiscuit, ita in Andromeda rudem barbari linguam identidem orationem tragicam interrumpentem facit. Sicuti in Helena[3]) mulier Critylla nomen Protei falso intellexit Proteamque quendam obscurum hominem substituit, ita in Andromeda[4]) stultus Scytha caput Gorgonis per errorem accipit, quasi de scribae alicuius, hominis certe non minus obscuri capite agatur[5]). In ea vero

---

[1]) Thesm. 940 sq.: *ἵνα μὴ 'ν κροκωτοῖς καὶ μίτραις γέρων ἀνὴρ γέλωτα παρέχω τοῖς κόραξιν ἑστιῶν.*
1028 sq.: *ἐκρέμασεν κόραξι δεῖπνόν.*

[2]) Robert l. l. p. 19.

[3]) Thesm. 876.

[4]) Thesm. 1102.

[5]) E talibus erroribus Aristophanes saepius ridicula captat neque tamen ubique tam aperte et apte quam hoc loco. Pluti v. 268 alia ratione intellegi non posse me monuit F. Leo, praeceptor meus doctissimus. Scholiastes frustra locum explicare conatur; interpretes versuum ordinem mutaverunt. Omnia plana sunt dummodo statuamus, chorum pro *ῥυσόν* (v. 266) falso *χρυσόν* intellexisse. — Alterum locum multo venustiorem in ipsa Andromedae parodia mihi indicavit carissimus magister U. de Wilamowitz. Est Thesm. v. 1094 quem editores iocandi ratione non satis intellecta depravarunt, quamquam in codd. satis clara genuinae lectionis vestigia restant. Neque enim Scythae verba *οὐ καιρήσεις* (= *οὐ χαιρήσεις*) immutata recinit Echo, sed levi ac lepida cum mutatione *οὐκ αἰρήσεις* (*οὐκ' αἰρήσεις* R *οὐκ αἰρήσεις* G).

parodiae parte in qua Scythae interloqui non licet[1]), in monodia scil. vv. 1015—1055 ipse Mnesilochus verbis tragicis ludicra admiscenda curat, iterum atque iterum a tragoediae quasi via iocandi causa aberrans[2]).

Nova aliqua parodiae ratione Aristophanes in vv. 1056—1097 utitur quos per se considerandos esse supra dixi. Perspicuum est in tragoedia non multa fuisse quae comico ad Echus scenam componendam usui esse possent. Itaque eo confugiendum erat, ut pauca illa et modesta Euripidea nimis augeret Echoque ut garrulam mulierculam omnia iterum atque iterum recinentem faceret. Probabiliter ut videtur conicere licet, verba *δι' Ὀλύμπου* v. 1069 in tragoedia quoque repetita fuisse. Hoc enim loco Andromeda parte cantici finita revera facit interstitium, quod nisi adsit verborum repetitio contra naturam pugnat. Accedit quod Aristophanem in parodiis prima quaeque ad summam tragici exemplaris similitudinem exprimere vel potius immutata e tragoediis desumere videmus. At quae sequuntur *μέρος ἐξέλαχον* et *θανάτου τλήμων* ab Aristophane addita videntur esse, quod intervallis nituntur quae revera non exstant.

Vix opus est dicere post v. 1072 omnia Aristophanea esse. Tragoedia per temporis spatium oblivioni datur; Echo non iam Andromedae lamentationes sed Mnesilochi detestationes Scythaeque barbaras voces recinit[3]). Sed haec ad Aristophaneam componendi rationem pertinent, de qua alio loco plura nobis dicenda erunt. —

Helenae Andromedaeque quasi *προπαρασκευή* parodica praemissa est ab Aristophane brevior illa Palamedis parodia: Thesm. 765 sqq. Mnesilochus Euripidem de misera sua condicione certiorem facit Oeacis imitans exemplum; neque tamen ut ille remos ad

---

[1]) Errant qui Scytham in scena fuisse negant dum monodia cantatur. V. 1008 poeta eum removet ut Euripides 1009 prodire possit. Qui cum statim scenam rursus reliquerit, Scythae redire licet et revera adest v. 1026 *ὅδε γὰρ ὁ Σκύθης κτλ.*, in storea quam e domo arcessivit alto sopore oppressus, ex quo v. 1083 demum excitatur.

[2]) Thesm. 1017 sq., 1020 sq., 1026 sqq., 1031, 1033, 1043 sqq.

[3]) Argutari videtur Taeuber l. a. 37 cum dicat Aristophanem in ea re ita versari »ut Euripidem ipsum audire nobis videamur, singulas voces geminare et in affectibus agendis eadem verba repetere solitum«.

Euripidem nuntios mittit, sed tabulas votivas, quibus ara in quam refugit ornata est. Cum in hoc vertitur vis comica tum illud risum movet, quod tabulas tragocdiae verbis sollemniter alloquitur, ridicula ut facere solet, admiscens[1]). Quae e tragoedia ab Aristophane desumpta sint definire conati sunt Fritzsche[2]) et Bakhuyzen[3]), qui tamen Nauckio[4]) persuadere non potuerunt, ut quicquam in numerum fragmentorum reciperet. Tamen haud minore cum probabilitate quam in ceteris parodiis Euripidea ex Aristophaneis erui possunt. Ex Andromeda prae ceteris repetitos esse vv. 776 sq.:

ὦ χεῖρες ἐμαί
ἐγχειρεῖν χρή
ἔργῳ πορίμῳ

hiatus falso ab editoribus deleti ostendunt[5]). Neque minus aperte originem Euripideam profitentur anapaesti sequentes[6]), quos e Palamede sumptos esse vel ridicula illa demonstrant quibus Mnesilochus 780 sq. tragica interrumpit. Itaque haec fere Euripidea esse coniciam:

ὦ χεῖρες ἐμαί
ἐγχειρεῖν χρή
ἔργῳ πορίμῳ.
ἄγε δὴ ⟨κωπῶν⟩ ξεστῶν δέλτοι
δέξασθε σμίλης ὁλκούς

---

[1]) Thesm. 780 sq.: οἴμοι τουτὶ τὸ ῥῶ μοχθηρόν.

[2]) p. 291.

[3]) p. 122 sq.

[4]) p. 542.

[5]) Fritzsche p. 288 de his versibus plane perversam sententiam profert. Non Aristophanes in verbis cognatis χεῖρες et ἐγχειρεῖν ludit, sed ipse Euripides, ut saepius in tragoediis facere solet. Non Aristophanes vocabulum πόριμος invenit, quia supra dixerat οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον ἐκ τοῦ Παλαμήδους, sed et πόρος et πόριμος haud aliter atque αἱ πλάται quas Mnesilochus non sine certo consilio in quattuor versibus 774—778 quater nominat, certe plus uno loco in tragoedia exstabant.

[6]) v. 778 vocabulum πινάκων in alius verbi locum ab Aristophane substitutum esse apparet (πίνακες sunt τἀγάλματα v. 773; cf. schol. πίνακες γὰρ ἦσαν ἐν τῷ ἱερῷ κτλ.). Probabiliter U. de Wilamowitz in tragoedia κωπῶν fuisse conicit.

κήρυκας ἐμῶν μόχθων.
. . . . . .
βάσκετ', ἐπείγετε πάσας καθ' ὁδούς
κείνᾳ ταύτᾳ. . . . .

III.

DE TELEPHI PARODIA.

In eis quae absolvimus ipse Aristophanes claris verbis quam illusurus esset tragoediam indicabat:

Thesm. 769 sqq.: *οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον*
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων.
847 sq.: *οὐκ ἔσθ' ὅπως*
οὐ τὸν Παλαμήδην ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται.
850: *τὴν καινὴν Ἑλένην μιμήσομαι.*
1010 sqq.: *ἀνὴρ ἔοικεν οὐ προδώσειν, ἀλλά μοι*
σημεῖον ὑπεδήλωσε Περσεὺς ἐκδραμών
ὅτι δεῖ με γίγνεσθ' Ἀνδρομέδαν.

Neque tamen in reliqua comoediae parte musam Euripideam lacessere omisit. Restat parodia virtute atque elegantia non inferior quam ceterae quas supra tetigimus. Quam cum in quaestionem vocare audeamus, obscuriore nobis quam in reliquis parodiis via eundum est. Nam scholiastas plane fugit praeter Palamedem, Helenam, Andromedam quartam Euripidis tragoediam, cuius nomen non affert Aristophanes, im magna Thesmophoriazusarum parte irrideri, nisi quod ad unum locum (Thesm. 519) fontem tragicum indicaverunt.

Tamen omnes qui inde a Fritzschio et Welckero[1]) parodias Aristophaneas accuratius expenderunt consentiunt in Thesmophoriazusis Telephum Euripideam perstringi, praesertim cum schol.

---

[1]) l. l. II 491.

Acharn. 332 recte cognoverit, quod schol. Thesm. non vidit: *παραπλήσιον δέ τι καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν· ὁ γὰρ Εὐριπίδου κηδεστὴς Μνησίλοχος ἐπιβουλευόμενος παρὰ τῶν γυναικῶν ἀσκὸν ἁρπάσας παρά τινος γυναικὸς ὡς ἂν παιδίον ἀποκτεῖναι βούλεται* [1]).

Telephi Euripideae gloriam ex ipsius certe dramatis virtute ortam invitus fortasse servavit et auxit ipse Aristophanes, quia in omnibus fere comoediis uno alterove loco Athenienses de illa admonere solebat. Itaque in Thesmophoriazusis poetae quamquam nomen Telephi plane reticuit exspectare licuit, omnes spectatores statim quam imitaretur tragoediam intellecturos esse.

In Telephi parodia consideranda haud contemnendum auxilium nobis fert cognata eiusdem tragoediae parodia, quam in Acharnensibus inesse nemo ignorat. Artissime ambae inter se cohaerent; magna ex parte in Thesmophoriazusis Aristophanes ea retractavit, quae anno 425 populo Atheniensium valde placuerant. Cum alia de quibus infra dicendum erit tum Telephi *μηχανήν*, qua Dicaeopolis in Acharnensibus 325 sqq. usus erat, quattuordecim annis post iterum in scena theatro ostendit (Thesm. 689 sqq.).

Neque tamen in Acharnensium fabula parodiam Telephi inter angustos fines versuum 325—345 coerceri sed multo longius procedere nunquam interpretes fugit. In Thesmophoriazusis docti homines parodiam tragoediae non nisi vv. 689 sqq. contineri censebant, quod eo magis mirandum videtur, cum Fritzsche [2]) rectius de ea re iudicare coeperit. Itaque Bakhuyzeno [3]) licuit post octo lustra rem a Fritzschio incohatam longius persequi Telephique et

---

[1]) De Telephi parodia dubitare videtur Schwabe, *Aristophanes und Aristoteles als Kritiker des Euripides, Crefeld Prgr. 1878 s. 18*, qui Andromacham Euripideam in Thesmophoriazusis illudi putat: »*Noch deutlicher wird auf die Andromache angespielt in den Thesm. 750, wo der in der Weiberversammlung in die gröfste Not geratene Mnesilochus sich dadurch zu sichern sucht, dafs er einer Frau ihr kleines Kind — von der Brust reifst*«. Vix opus est dicere, hanc opinionem ne speciem quidem veritatis habere. Prorsus alia est rerum condicio in tragoedia atque in comoedia. Andromacha sola in aram confugit quam ut inde depellat Menelaus se eius puerum necaturum esse minatur; Mnesilochus cum infante rapta in ara assidet. Nescio qua ratione hae diversissimae res comparari vel coniungi possint.

[2]) l. a. 188 sq.

[3]) l. l. 17—22, 119—122.

argumento et structurae clariorem lucem e Thesmophoriazusis afferre. Ipse quoque ego aliam viam ingressus ad eundem fere finem perveneram, nam serius mihi contigit, ut Bakhuyzeni librum inspicerem. Jam nihil aliud mihi restat nisi ut ea, quae ille rectissime de Telephi parodia et argumento statuit, brevi comprehendens pauca, quae omisisse videtur adiciam, nonnulla, in quibus erravit corrigere audeam. —

De Telephi in Thesmophoriazusis parodia Bakhuyzen prae ceteris bene meritus est eo quod Fritzschii suspicionem certis adstruens causis comprobavit, orationem Mnesilochi [1]) non aliter atque Dicaeopolidis [2]) insignia verba ad similitudinem orationis Telephi ab Aristophane expressa esse. »Idem fere est nexus orationis, eadem interdum occurrunt verba« [3]); utroque loco is qui verba facit alterius causam defendit et alius est, alius videtur esse«.

In utraque igitur comoedia poeta et orationem Telephi et raptum Orestem imitatus est, sed non eodem ordine: in Acharnensibus Dicaeopolis corbem carbonariam ante orationem arripit, in Thesmophoriazusis Mnesilochus cum mulieris infante in aram confugit, postquam verba fecit. Quaeritur uter in tragoedia ordo fuerit. Recte etiam hic Bakhuyzen [4]) respondet, Thesmophoriazusas non Acharnenses genuinum scenarum ordinem servare. Videmus igitur, Aristophanem qui in ceteris parodiis satis habuit, singulorum versuum ordinem mutasse, in Acharnensibus eo licentiae pervenisse, ut etiam rerum scenarumque nexum suo arbitrio perverteret [5]).

---

[1]) Thesm. 466—519.

[2]) Acharn. 496—556.

[3]) Bakh. p. 18. sq.

[4]) l. l. 121.

[5]) Sententia Bakhuyzeni vix indiget propria argumentatione. Quodsi tamen eis quas ipse ille comparavit causis novam adiungo, Acharnensium causa facio, in qua quaedam res offensionem praebere debet, donec ea quam supra monstravimus parodica licentia explicetur. Acharn. 317 sq. Aristophanes Telephi verba

. . . . οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων
μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν
σιγήσομαι δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων (Nauck fragm. 706)

mitans et augens Dicaeopolidem, cui senes Acharnenses insidiantur, dicentem facit, se ὑπὲρ ἐπιξήνου causam suam defendere velle. Sed chorus ei denegat dicendi potestatem lapidibusque eum obruere parat cum repente Dicaeopolis Telephi exemplum

Itaque e Thesmophoriazusis hunc fere in tragoedia fuisse rerum ordinem colligimus: Telephus ab Achivis non cognitus, pannis mendici tectus, se causam regis Mysorum defensurum esse profitetur. Habet orationem illam praeclaram cuius nexum ex utraque comoedia probabiliter constitutum apud Bakhuyzenum[1]) invenies. Graeci indignantur, Telephus agnoscitur et cum Oreste rapto in aram confugit. Quaeritur qua ratione haec Telephi agnitio in tragoedia facta sit. Bakhuyzeno[2]) non displicet Jahnii[3]) coniectura, »eum inimicorum conviciis incensum ipsum se minime mendicum sed Mysorum regem esse aperuisse, cui coniecturae favet Acharn. 593 sqq.«[4]). Certe Acharnensium locus hanc opinionem commendat, aliam commendant Thesmophoriazusae quibus dubito an maior fides sit tribuenda, quoniam hanc fabulam fidelius quam Acharnenses tragoediae structuram servasse intelleximus. Nam inter orationem Mnesilochi[5]) raptamque infantem[6]) revera exstat Mnesilochi agnitio[7]), non per ipsum illum — affinis Euripidis non minus caute personam suam tuetur quam in tragoedia regem Mysorum servasse putabimus — sed per Clisthenem qui v. 575 advenit effecta. De primis eius verbis dicit van Leeuwen[8]): »574 sqq. quin aliquam contineant parodiam nullus dubito«. At Bakhuyzen[9]) postquam Clisthenis verba cum exordio orationis ancillae Euripideae Andromachae 56 sqq. comparavit adicit: »absit tamen ut Aristophanis verba

secutus se corbulam carbonariam quam e domo arcessivit perfossurum esse minatur. Tum senes ad miseras preces descendunt, lapides abiciunt, clementiae Dicaeopolidis se commendant. Cur igitur ille postquam superior e certamine discessit nihilominus v. 355 ad id quod antea nimirum alia rerum condicione promisit revertitur atque revera v. 359 sqq. orationem suam *ὑπὲρ ἐπιξήνου* habere cogitur? Vides scenam corbulae raptae plane e fabulae nexu excidere; quae res optime expeditur dummodo reputemus, cognatam scenam in tragoedia post Mysi orationem positam fuisse.

[1]) l. l. 20 sq.

[2]) l. a. 121.

[3]) *Telephus und Troilus, Kiel 1841 s. 28.*

[4]) *Λαμ. ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγὸν πτωχός ὤν;*
Δικ. ἐγὼ γάρ εἰμι πτωχός;

[5]) Thesm. 466 sqq.

[6]) Thesm. 689 sqq.

[7]) Thesm. 575—654.

[8]) l. l. 140.

[9]) l. l. 119.

huius loci parodiam esse contendamus. Ita enim triverat tragicos comicus, ut saepe ubi graviter loquentes induceret personas imprudens eos imitaretur«. Certe non Andromachae locum Aristophanes imitatione expressit; at ne imprudentem eum hoc quidem loco exordia nuntiorum tragoediae, qui priusquam ad id quod propositum est accedant de se ipsis verba facere solent, imitari credamus impedit quod non hi solum versus sed etiam quae statim sequitur, Mnesilochi agnitio in media Telephi parodia posita sunt. Itaque propius quam Jahnii opinio nostra sententia ad veritatem accedere videtur, non ipsum Telephum in tragoedia partes suas male egisse, sed Achivos ex alio quodam, cuius personam Aristophanes in Clisthene retinuit, quis mendicus ille revera esset, comperisse [1]).

Multo igitur maior tragoediae pars quam vulgaris est doctorum sententia, Thesmophoriazusis continetur: Mnesilochi oratio 466—519, agnitio 575—654, *σωτηρίας μηχανή* 689 sqq. e Telepho manarunt. Tamen ne his quidem finibus totam tragoediae parodiam coerceri existimem. Ex Euripidea ratione cum maxima veritatis specie colligere licet, in Telepho longae regis orationi aliam quandam fortasse a Menelao [2]) habitam anteisse. Adversariam illam orationem continuisse eas criminationes a quibus Telephus se defendit docet fragm. 706:

Ἀγάμεμνον οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων
μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν
σιγήσομαι δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων [3]).

Adde fragmenta 708—711 ex ipsa Telephi oratione repetita, quae aperte ostendunt regem Mysorum ad certa quaedam adversarii crimina recurrere. Nonne illam quoque priorem tragoediae orationem in verbis mulieris *A* Thesm. 383 sqq. ab Aristophane

---

[1]) Fortasse eius qui in tragoedia Telepho mendici personam detraxit erat fragm. 704. — Ad Telephi agnitionem etiam cum aliqua probabilitatis specie referri possunt anxia eius verba Egn. 1240 (Nauck fragm. 700) *ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτέ μ' ἐργάσει;* cum in Equitum quoque illo loco de agnitione iliqua agatur.

[2]) Bakhuyzen p. 21 arbitratur Ulixem adversarium Telephi in certamine illo verborum fuisse. Sed numerus personarum nimis tali opionione augetur. Itaque in ultima demum tragoediae parte Ulixem (Hygin. 101) in scenam prodisse existimem.

[3]) cf. Thesm. 542: *εἶτ εἶπον ἀγίγνωσκον ὑπὲρ Εὐριπίδου δίκαια*
545: *ὑπὲρ ἀνδρὸς ἀντειπεῖν ὃς ἡμᾶς πολλὰ κακὰ δέδρακεν*

servatam esse putabimus? Vix opus est dicere, me de verborum imitatione minime cogitare; tantummodo tragoediae structuram, universam dramatis Euripidei indolem hoc quoque loco e comoedia eminere arbitror. Quod si recte statui hunc fere in modum satis magnam Telephi partem ab Aristophane in Thesmophoriazusis expressam vides, scenarum ordine et nexu diligenter servato: Aliquis Graecorum (= mulier *A*) Telepho maledicit; »vitio ei vertit, quod cum Graecis congressus sit et probare conatur, iure Graecos eum vulnerasse ut se defenderent scilicet (= Thesm. 383—432). Telephus autem, adhuc ignotus mendici personam sustinens (= Mnesilochus ipse quoque ignotus, mulieris partes agens) eodem argumento utitur probatque, si Graecis licuerit se defendere summo iure idem licuisse regi, cuius fines transissent (= Thesm. 466—519; Mnesilochus quoque ad mulieris crimina recurrit probatque mulieres multo peiores esse quam Euripides eas in tragoediis finxerit)« [1]). Sequitur inter Graecum illum Telephumque altercatio cum suam quisque causam ceteris probare studeat (= Thesm. 533—570), quae finitur adventu alicuius Graeci (= Clisthenis), a quo Telephus agnoscitur (= Thesm. 575—654). Tum vero ille ad extrema decurrit; Orestem arripit atque cum eo in aram confugit (= Thesm. 689 sqq.). Quae deinde in comoedia usque ad v. 764 quo loco reliquae parodiae incipiunt sequuntur, non iam tragoediam imitantur: apud Euripidem Graeci Telepho conciliantur, Orestes servatur; in Thesmophoriazusis infans mulieris extrema patitur.

Permagnam igitur comoediae partem ab Aristophane secundum Telephi exemplar dispositam esse statuimus. Quae nostra sententia vel prologi quodam loco probatur. Thesm. 71 poeta fabulae argumentum cum spectatoribus communicare incipit. Atqui blandissima est Bakhuyzeni [2]) coniectura, vv. 76 sq.:

τῇδε θἠμέρᾳ κριθήσεται
εἴτ' ἔστ' ἔτι ζῶν εἴτ' ἀπόλωλ' Εὐριπίδης

e Telepho sumptos esse; quin recte id coniecerit homo doctus, nullus dubito; immo etiam Thesm. 71:

ὦ Ζεῦ τί δρᾶσαι διανοεῖ με τήμερον

---

[1]) Bakhuyzen p. 21.

[2]) l. a. 120 sqq.

ex eodem fonte scilicet e tragoediae prologo haustum esse existimem. Quod cum vel in prologo Telephum poetae in animo versatam esse videamus, non iam mirabimur eum propriae quoque fabulae permagnam partem ad tragoediae similitudinem composuisse. —

Telephi Palamedis Helenae Andromedae parodiae totam fere comoediam efficiunt. Tamen quocumque loco spatium aliquod quamvis exiguum relinquitur, alii quoque tragici versus occurunt hic illic dispersi, praeter unum locum Aeschyleum (Thesm. 136 sqq.) cuncti ab Euripide commodati. Mitto singula enumerare cum alii[1]) accurate congesserint. Accedunt permulta quae Euripideum loquendi genus tam diligenter imitantur, ut a genuinis secerni vix possint[2]). Omnis fere fabula Euripideo colore tincta est. Non ea solum quae ipse Euripides pronuntiat ut aequum est accuratissime ab Aristophane ad eius dictionem et rationem accommodata sunt; Agatho quoque quamquam ipse valde perstringitur — Aristophanes uno ictu duos percutere solet — musam Euripideam ridet[3]); mulier *A* tragoediis Euripideis eruditissima est; prae ceteris vero *εὐριπιδίζει* Mnesilochus qui in posteriore potissimum fabulae parte[4]) quasi alter Euripides eius rationem imitatur. Operae pretium est ex multis lepidissimum eligere. In lamentationibus Mnesilochi capti identidem occurrunt vocabula *μηχανή*, *σωτηρία*, *ἐλπίς*, quae saepissime ab Euripide in tragoediis usurpari nemo ignorat. Prae ceteris vero est vox *ἐλπίς* apud tragicum usitatissima, de qua ubicumque philosophari solet[5]). Heracl. 433 eam divina induit specie:

τί δῆτ' ἔτερψας ὦ τί λαινά με Ἐλπίς.

Quem locum si cum andacibus Euripidis verbis Hel. 560:

ὦ θεοί· θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους

comparas, Mnesilochum lepide Euripideam rationem sequi intellegis, cum non minus audacter Thesm. 1009 exclamet:

ἔα· θεοί, Ζεῦ σῶτερ, εἰσὶν ἐλπίδες.

---

[1]) Ribbeck Acharn. app. 276 sqq.; Bakhuyzen p. 107 sqq.

[2]) v. Bakhuyzen p. 219.

[3]) Thesm. 193 sqq.

[4]) Thesm. 765 sqq.

[5]) cf. Herc. 80 sq., 91, 105 sq.; Suppl. 479; Heracl. 451 sqq.; Hec. 351; Phoeniss. 396 sqq., 634.

IV.

DE THESMOPHORIAZUSARUM CONSILIO ET STRUCTURA.

De parodiis quae Thesmophoriazusis continentur satis sit dictum; libenter concedo me primoribus solum labris rem uberrimam gustasse; tamen quae tetigi sufficere arbitror ad consilium comoediae investigandum.

De Thesmophoriazusarum consilio proprie quaesiverunt J. Zastra[1]) cuius commentationem inspicere mihi non licuit et Chr. Haag[2]). Statuit Zastra teste Haagio, duplex esse comoediae argumentum et contra Euripidem et contra mulieres compositum. Contra illum Haag »individuum esse fabulae consilium atque in solum Euripidem fabulam esse compositam« affirmavit. Placet ipsa quidem Haagii sententia; displicent reliquae argutiae quas in comoedia latere suspicatur. Haec enim homo doctus nobis persuadere studet: »in Thesmophoriazusis pro sollertia sua Aristophanes rem ita variavit ut una cum mulieribus quasi mulierem quandam Euripidem, perditorem illum iuventutis et vexatorem feminei sexus tractaret«[3]); »in Thesmophoriazusis imprimis eiusmodi locos ex Euripidis fabulis perstrinxit, qui essent circa mulieres, praeter Palamedem (et Telephum!)«[4]); »probare voluit Aristophanes Thesmophoriazusis, Euripidem quamvis *μισογυνεῖν* videretur, revera tamen — idque cum genio sui aevi — *γυναικίζειν*«[5]). Adventiciis rebus pellectus neque insita fabulae indole satis perspecta ad talia descendisse videtur homo doctus. —

Aliam et prorsus contrariam de comoediae consilio sententiam profert Lessing[6]): »argumentum Thesmophoriazusarum totum in

---

[1]) *Über den Zweck von Aristoph. Thesmoph. Progr. Breslau, Kath. Gymn. 1841.*

[2]) Praemissa expositione eius consilii quod Aristophanes in Thesm. secutus sit de locis quibusdam equs., progr. Stettin 1884.

[3]) l. a. 4.

[4]) l. a. 6.

[5]) l. l. 8.

[6]) De Aristophane Euripidis irrisore quaestt. sell., diss. inaug. Hal. 1877 p. 15.

eo positum est, quod mulieres inducuntur ulturae Euripidem, quippe qui in tragoediis acerrimum se praebeat mulierum osorem«. Idem sentire videtur Schwabe[1]): »*Aber nicht nur zu einzelnen Anspielungen hat das Verhältnis des Euripides zum weiblichen Geschlecht dem Komiker Anlafs gegeben, nein, er hat es sogar zum Hauptgegenstand einer ganzen Komödie gemacht, nämlich der Thesmophoriazusen*«.

In tali sententiarum diversitate haud alienum videtur esse, fabulam denuo percensere quodque habuerit Aristophanes in ea docenda consilium investigare. Neque deerit eventus, dummodo structuram comoediae diligenter contemplati ab ipso fabulae argumento seiungere audeamus quaecumque e more veteris comediae tamquam ἐπεισόδια accedunt; videbimus simplex quoddam restare Thesmophoriazusarum consilium.

In prologi initio spectatorum animi ab Aristophane ut in omnibus fere comoediis per aliquantum temporis spatium suspensi tenentur. Euripidem hodie a comico peti coniciunt, nam is in scena adest; tamen quo fabula spectet accuratius v. 83 sqq. demum comperiunt:

> *αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπιβεβουλεύκασί μοι*
> *κἂν Θεσμοφόροιν μέλλουσι περί μου τήμερον*
> *ἐκκλησιάζειν ἐπ' ὀλέθρῳ . . . . . .*
> *. . . . . .*
> *ὅτιὴ τραγῳδῶ καὶ κακῶς αὐτὰς λέγω.*

Mulieres iratae Euripidi perniciem moliturae sunt; cui consilio ab illo resistendum est. Poterat ad hunc finem ipse Euripides contioni mulierum occulte interesse et ipse causam suam defendere. Tamen Agathonem rogare mavult, ut illud sibi praestet officium. Agatho se aliena pericula subiturum esse negat: tota scena in qua inducitur est mera digressio, tantummodo ad perstringendum illum composita. Nam proprius Euripidis defensor, iam pridem ab Aristophane destinatus, haud procul abest; una cum Euripide Mnesilochus in scenam processit. Non veretur Aristophanes hanc dissolutam componendi rationem aperte confiteri; vide quam festi-

[1]) l. a. 19.

nanter Euripides v. 213 sq., postquam ab Agathone repulsam tulit, Mnesilocho ipsius auxilium offerenti obsequatur:

ἄγε νυν ἐπειδὴ σαυτὸν ἐπιδίδως ἐμοί
ἀπόδυθι τουτὶ θοἰμάτιον.

Vide porro quam lepide poeta Agathonem faciat decedentem 264 sq.:

ἀλλ' ἔχεις γὰρ ὧν δέει
εἴσω τις ὡς τάχιστά μ' ἐσκυκλησάτω.

Prodierat Agatho in publicum ut carmina faceret[1]); sed ea res mox oblivioni datur. Musa eius incessusque muliebris ridentur, vestis ad Mnesilochum induendum necessaria ab eo repetitur; tum Agatho officium suum peregit, Agathoni abire licet. —

Mnesilochus in Thesmophorium iturus vv. 213—265 multo accuratius quam opus est[2]) ad futuras mulieris partes praeparatur. Priusquam autem iter periculosum ingrediatur, 270 sq. Euripidem adigit iusiurandum:

συσσώσειν ἐμέ
πάσαις τέχναις ἤν μοί τι περιπίπτῃ κακόν.

Quae verba insigni loco scilicet in fine prologi posita fabulae argumentum continent. Videamus quomodo Aristophanes in ipsa comoedia custodiverit.

Mnesilochus migrare fingitur in mulierum contionem. In contionem dico, nam in eis quae sequuntur praeter opinionem indoles Thesmophoriorum plane recedit, sola contionis species servatur; *γυναῖκες Θεσμοφοριάζουσαι* revera fiunt *ἐκκλησιάζουσαι γυναῖκες*. Facile intellegitur cur poeta rem ita instituerit: res sacras et arcanas in scena illudere non licuit. Frustra igitur quamvis e fabulae titulo exspectes multa et gravia ad sollemnium illorum notitiam eruere conamur. Sunt mulieres prorsus contionabundae; paucis solum eisque inanibus verbis poeta nos de die locoque admonet: semper fere mulieres per Thesmophoros iurant neque Mnesilochus dum mulieris agit partes idem facere omittit[3]); mulieres faces gerunt[4]),

---

[1]) Thesm. 66 sqq.

[2]) vide Thesm. 216: *τὰ κάτω δ' ἀφεύειν* et 239 sqq. quae non nisi iocandi gratia addita sunt.

[3]) Thesm. 594.

[4]) Thesm. 280 sq., 917.

τι σεμνὰ ὄργια commemorantur[1]), ieiunium et iustitium illo die fuisse comperimus[2]); semper vox ἀνιέναι usurpatur de eis qui ad templum adeunt[3]); audimus mulieres σκηνὰς propter aedem habuisse, in quibus binae una versabantur[4]). Compluries τῶν ἀποῤῥήτων mentio fit, sed ipsa arcana non produntur ab Aristophane, nimirum quod ei ignota sunt. Tamen unum locum liceat indicare quo ex ipsa ista molestissima re callide fructum comicum ceperit. Thesm. 626 sqq. mulier *A* Mnesilochum de sollemnibus antecedentis anni rogatura magna cum diligentia Clisthenem abscedere iubet, quippe cui ut viro non liceat de arcanis quicquam accipere. Spectatores auribus erectis curiosisque se statim novi aliquid de arcanis mulierum audituros esse sperant — et misere falluntur cum pro veris Mnesilochi nugas comperiant. Nam nugae sunt quae ille mulieri examinanti respondet. Immerito pro veris ea accepit Zielinski[5]), qui hoc loco sollemnia Calligeniae, tertii Thesmophoriorum diei describi suspicatur. Tamen non est nisi communis eaque maligna virorum Atheniensium opinio de mulierum arcanis, quae revera eis plane ignota erant[6]).

Sed revertor eo unde digressus sum. Ad contionis igitur speciem omnia accuratissime accommodata sunt; de contione agi poeta identidem indicat:

---

[1]) Thesm. 948.

[2]) Thesm. 949, 983, 570; 78 sqq.

[3]) Thesm. 281, 585, 623, 893.

[4]) Thesm. 624.

[5]) *Die Gliederung der altattischen Komödie, Leipzig 1885 s. 101.*

[6]) Comparari potest mulierum de virorum contione suspicio haud minus perversa atque ridicula Eccl. 132 sqq.:

εἶτα πρὶν πιεῖν λέγω;
— ἰδοὺ πιεῖν.
— τί γὰρ ὦ μέλ' ἐστεφανωσάμην;
. . . . . .
τί δ'; οὐ πίνουσι κἂν τῇκκλησίᾳ;
— ἰδού γέ σοι πίνουσι·
— νὴ τὴν Ἄρτεμιν
καὶ ταῦτα γ' εὔζωρον . . . . . .
. . . . . .
καὶ λοιδοροῦνταί γ' ὥσπερ ἐμπεπωκότες
καὶ τὸν παροινοῦντ' ἐκφέρουσ' οἱ τοξόται.

Thesm. 84 *ἐκκλησιάζειν ἐπ᾽ ὀλέθρῳ —*
90 *ἐκκλησιάσοντ᾽ ἐν ταῖς γυναιξίν —*
277 sq. *τὸ τῆς ἐκκλησίας*
σημεῖον ἐν τῷ Θεσμοφορείῳ φαίνεται.
292 sq. *ποῦ ποῦ καθίζωμ᾽ ἐν καλῷ, τῶν ῥητόρων*
ἵν᾽ ἐξακούω;
300 *ἐκκλησίαν τήνδε . . . . κάλλιστα καὶ ἄριστα ποιῆσαι —*
306 *τὴν τ᾽ ἀγορεύουσαν τὰ βέλτιστα περὶ τὸν δῆμον*
τὸν τῶν γυναικῶν ταύτην νικᾶν —
372 sqq. *ἔδοξε τῇ βουλῇ ταδί*
τῇ τῶν γυναικῶν· . . . . . .
. . . . . .
ἐκκλησίαν ποιεῖν
380 *περίθου νῦν τόνδε πρῶτον πρὶν λέγειν·*
381 *χρέμπτεται γὰρ ἤδη*
ὅπερ ποιοῦσ᾽ οἱ ῥήτορες —
657 sq. *καὶ περιθρέξαι*
τὴν πύκνα πᾶσαν . . .[1]).

In hac mulierum contione Mnesilochus secundum Telephi exemplar causam Euripidis defendit; omnium animos summa ira exacerbat, per Clisthenem agnitus a mulieribus infensis comprehenditur. Iam tota contio oblivioni datur; cur convenerint mulieres scilicet ut Euripidem ulciscerentur, usque ad finem fabulae plane neglegitur. Non iam de puniendo Euripide, sed solum de Mnesilocho liberando agitur. Iam illae *πᾶσαι τέχναι* versus 371, in quo comoediae argumentum inesse supra suspicati sumus, adhibentur, quarum alia aliam excipit donec fabula finita est. Euripides *μηχανορράφος* irridetur, hoc est consilium Thesmophoriazusarum. —

Priusquam hanc sententiam magis confirmare studeamus reliquam quoque fabulae partem percensentes, paulum nos subsistere atque nonnulla de persona Mnesilochi monere necesse est. Non potest negari, copiam personarum Aristophanis haud ita magnam esse. Saepius in fabulis eidem homines bene noti, alio solum nomine

---

[1]) cf. in universum illam *ἐκκλησίας προπαρασκευήν* Eccl. 100—285 et Eurip. Orest. 877 sqq.; ad supremum potissimum locum U. de Wilamowitz, *Aus Kydathen, Berlin 1880 p. 161 sq.*

praediti atque leviter mutati occurrunt, quamvis ipse poeta Nub. 546 sqq. glorietur:

οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας ἐσφέρων σοφίζομαι
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας.

Concedamus Aristophanem quod ad argumenta fabularum attinet iure illam gloriam sibi sumpsisse; personae certe varietate carent. Vix opus est hanc rem exemplis adstruere; tamen e multis pauca eligo: Dicaeopolis Trygaeus Pithetaerus easdem fere sustinent personas; Agatho Thesmophoriazusarum non multum differt a Socrate Nubium et Euripide Acharnensium; eundem in modum servus Agathonis, discipulus Socratis, Cephisopho famulus Euripidis inter se congruunt. Multo vero crebrior in Aristophanis comoediis occurrit scurrae persona; is protagonistam inde ab initio fabulae comitari solet, eius auxilio dialogus efficitur. Verbis alterius suas nugas admiscens indolem comoediae curat servandam et e poetae arbitrio potest removeri simulatque ad alias partes agendas actore opus est. Hoc scurrae munere prae ceteris fungitur Euelpides Avium; in Ranarum fabula procax verna Xanthias easdem agit partes; Lysistratae haud alia de causa Calonice adiuncta est. Proprium est omnium illarum personarum, quod non nisi in parte comoediae aguntur.

Immerito Thesmophoriazusarum Mnesilochus earum gregi admiscetur. Nam etsi in comoediae prologo, quamdiu Euripidem comitans supervacaneus in scena versatur, revera scurrilem sustinet personam, tamen simulatque se Euripidem inter mulieres defensurum esse pollicitus in contione adest, ratio eius plane mutatur neque maiora remanent scurrilitatis atque stultitiae vestigia quam in qualibet comoediae persona invenies. Mnesilochus qui primas fabulae partes agit multum differt ab Euelpide eiusque generis personis.

Quodsi Euripidis affinem pluris aequo aestimasse tibi videor, diligentius velim mecum quaeras, qua ratione Aristophanes Thesmophoriazusarum argumentum mente conceperit.

Euripides in tragoediis saepius femineo generi maledixit. Fingit Aristophanes mulieres propterea ira incensas clam in Thesmophorio de ulciscendo tragico consulere parantes Euripidemque perterritum

inimicarum consilia irrita facere cupientem. Necesse est ab aliquo causam tragici in mulierum contione defendi. Cur non ipse Euripides occulte inter mulieres verba facit? Idem Agatho v. 188 eum interrogat:

ἔπειτα πῶς οὐκ αὐτὸς ἀπολογεῖ παρών;

Ad haec Euripides:

ἐγὼ φράσω σοι· πρῶτα μὲν γιγνώσκομαι,
ἔπειτα πολιός εἰμι καὶ πώγων' ἔχω.

Non satis certis causis ab Aristophane recusationem Euripidis comprobari apparet. Mnesilochus quoque canus atque barbatus est neque tamen ea re impeditur quominus in contionem se conferat. Revera Euripidi non licet in Thesmophorium ire, quod ad aliam rem reservetur necesse est, nimirum ut τέχνας illas e tragoediis repetitas theatro ostendens ipse suam poesin ad risum detorqueat. Alio igitur quodam homine opus est, in quo liberando Euripides dolis suis utatur neque tamen cuivis uni illas partes agere licet: persona fingenda est in tragicis rebus non minus quam ipse tragicus exercitata, Euripidis quasi pars et imago, sed comico colore imbuta. Inde Mnesilochus ortus est; ea de re εὐριπιδίζει atque Thesm. 94 gloriatur:

τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

Ideo denique eius personam Aristophanes sapienter atque consulto in incerto relinquit, nunquam nomen eius affert, ubique non nisi incertissime de eo ut de aliquo Euripidis affine loquitur[1]).

Sed tandem aliquando ad perspiciendum fabulae argumentum revertamur. Mnesilochus Telephi exemplum imitans causam Euripidis inter mulieres defendit[2]), per Clisthenem agnoscitur, cum rapta infante in aram confugit. Sed primum illud μηχάνημα Euri-

---

[1]) Primus Hiller, Hermes VIII 449 sq. vidit, nomen Mnesilochi ab Euripidis socero grammaticorum errore ad Thesmophoriazusarum κηδεστήν, qui totus Aristophanis ingenio debetur, translatum esse. cf. Thesm. 74, 584 sqq.:

Εὐριπίδην φάσ' ἄνδρα κηδεστήν τινα
αὑτοῦ γέροντα δεῦρ' ἀναπέμψαι τήμερον.
ὅδ' ἐστὶν οὑν τῇ σανίδι κηδεστὴς ἐμός.

[2]) Immerito Kaibel, Hermes XXII p. 498, Mnesilochi stultitiam reprehendit cum dicat: »parum dextrum causae Euripideae defensorum finxit poeta Mnesilochum«. Neque enim quod ille »res narrat inauditas et incredibiles ut Euripidis crimina inferiora esse demonstret eis quae revera mulieres committere soleant« stultitiae

pideum irritum fit; utrem vini plenum pro infante arripuit. Itaque Oeacis ratione auxilium Euripidis implorare constituit. Sed tragicus *τὸν Παλαμήδην ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται*. Frustra Mnesilochus eum subsidio venturum esse expectat cum interea chorus in parabasi mulierum virtutes laudibus effert. Tum demum, postquam Mnesilochus novam Helenae personam suscepit, Euripides in scenam procedit, sed praesidis adventu infecta re rursus abire cogitur. Affinis de salute desperat: *οὐκ ἐστ' ἔτ' ἐλπὶς οὐδεμία σωτηρίας*. Neque tamen Euripides impiger spem Mnesilochi liberandi perdidit. Illi personam Andromedae sumendam tradit, ipse se Persei partes acturum esse indicat. Sed priusquam id quod professus est perficiat, v. 1056 inopinate ut Echo in scenam prodit. Euripidem per Echus personam Mnesilochum liberare nequire apparet; tota igitur usque ad v. 1097 scena e fabula plane excidit. Ipsa actio aliquantum temporis spatium insistit neque quicquam progreditur. Tamen non est cur Textori[1]) assentiamur suspicanti: »*statt dessen ist die lange Echogeschichte, vielleicht gegen den ursprünglichen Plan, eingeschoben*«. Illa digrediendi ratio proprie Aristophanea est. Poetae ut id quod sibi proposuit assequatur sola Persei persona opus est. Sed occasione oblata facere non potest, quin e tragoedia Echo quoque plane supervacaneam desumens tamquam personam inepte ab Euripide inventam illudat. Est res ad rationem Aristophaneam bene perspiciendam gravissima; vidimus supra etiam Agathonem eadem de causa in comoediam irrepsisse. Echus vero scenam tantummodo tragici ridendi gratia ipsi fabulae insertam esse vel illud potest docere, quod ipse Euripides, qui in ceteris parodiis tragicam quam sustinet personam fideliter servat, in Echus agendis partibus adeo modum excedit, ut etiam Mnesilochus, fidus ille et periculorum et tragoediarum socius, se istis ineptiis plane defatigatum esse confiteatur (1074 sqq.). Per satis longum temporis spatium Echo Mnesilochi Scythaeque detestationes recinit; tum demum actio procedit: Euripides Persei persona tandem suscepta denuo periclitatur, si affinem suum liberare possit. Sed ne haec

---

Mnesilochi tribuendum est, sed accuratae Telephi imitationi, quae talem defensionis rationem postulat, id quod fragm. 711 *εἶτα δὴ θυμούμεθα παθόντες οὐδὲν μεῖζον ἢ δεδρακότες* ex ipsis Mnesilochi verbis haustum demonstrat.

[1]) *Zur dramatischen Technik des Aristophanes II, Stettin Progr. 1885 S. 11.*

quidem liberandi ratio feliciter tentatur: tragoediae poetam deficiunt nec tamen *αἱ μηχαναί*, quarum restat una barbaris moribus magis apta et prospere eventura. —

Percensuimus fabulam Thesmophoriazusarum, seposuimus ea, quae e more veteris comoediae proprio argumento annexa sunt; iam quod fuerit Aristophanis consilium, cum fabulam doceret, dubium esse nequit: volebat poesin Euripideam non tam universam quam eam potissimum partem quae ad miros novosque conatus pertineret ad risum detorquere. *Μηχανορραφίαν* tragici illudere atque theatro monstrare cupiebat, sollertiam Euripideam nodos, quos vocamus, tragicos expediendi idque ita instituit, ut in comica scena tragico poetae faceret potestatem, sescentas illas *μηχανάς*[1]) ipse in liberando quodam homine adhibere. Sollemnia autem Thesmophoriorum, quamquam nomen fabulae dederunt, plane recedunt neque quae vel contra mulieres vel prò eis[2]) dicuntur maioris momenti sunt, sed eius solum generis quae Aristophanes ubique, quotiens occasio oblata est, adicere solet[3]). Fabulae argumentum simplex est, contra unum Euripidem compositum.

Omnia fere astutiae Euripideae exempla ex ipsius Euripidis tragoediis ab Aristophane diligenter repetita esse supra vidimus: sunt Telephus, Palamedes, Helena, Andromeda, quarum utraque suprema anno proximo acta prae ceteris Atheniensium memoria et recordatione tenebatur; neque sine aliqua veritatis specie efficimus, tunc ipsum cum Helenam Andromedamque spectabat, Aristophanem Thesmophoriazusas concepisse. Unum idque ultimum sollertiae Euripideae specimen, quo fabula ad finem perducitur, ipse finxit comicus. Suo iure Haag[4]) illum comoediae exitum *ἐπειςοδιώδη* nominat; sane durior est Thesmophoriazusarum finis, sed e ratione Aristophanea si minus probari at certe intellegi potest. Nam in

---

[1]) Non sine certo consilio Aristophanes eum v. 927 dicentem facit *ἦν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαι με μηχαναί.*

[2]) Thesm. 785 sqq.

[3]) Haec sententia non mutatur, si concedimus, Aristophanem fortasse non eam quam sibi proposuit choricorum amplitudinem et ubertatem assecutum esse, quia Lysistrata fabula non multo ante docta eius vires quantum ad mulieres tractandas pertinebant exhauserat.

[4]) l. a. 4 adn. 18a.

omnibus fere fabulis ipsum argumentum in media comoedia deficit; quod superest spatium scenis quibusdam non arte coniunctis expletur, quibus poeta demonstrare solet, se rectam aliquam atque probabilem sententiam in priore fabulae parte spectatoribus commendasse[1]). Vides Thesmophoriazusas alias multas comoedias virtute superare: eius actio fere ad fabulae finem summa cum vivacitate procedit. Sed postquam comicus ad id, quod sibi proposuit, pervenit tragicamque poesin identidem perstrinxit, gravis quaedam restat difficultas: Euripidi non licet Mnesilochum liberare, nisi chorus ὃς *πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* in eius partes transierit. Itaque opus est illo foedere quod vv. 1160 sqq. cum mulieribus icitur: Euripides promittit se iam in tragoediis mulieribus non maledicturum esse, si sibi Mnesilochum secum abducere licuerit:

ἢν οὖν κομίσωμαι τοῦτον, οὐδὲν μή ποτε
κακῶς ἀκούσεσθ'[2]).

At si mulieres non concesserint, arcana earum se viris prodituram esse minatur:

ἢν δὲ μὴ πίθησθέ μοι
ἃν νῦν ὑποικουρεῖτε τοῖσιν ἀνδράσιν
ἀπὸ τῆς στρατιᾶς παροῦσιν ὑμῶν διαβαλῶ.

Inanibus utitur minis; sed cum Euripidem ad nodum expediendum utcumque mulieribus parem esse oporteat, praetendit poeta causam illam non graviorum quam vetus comoedia postulat. Ratione igitur atque indole Aristophanea exitus fabulae Thesmophoriazusarum satis explicatur. Si quis autem aliud quoddam in eo latere suspicatur, argutatur cum Schwabio[3]), qui de fine comoediae dicit:

---

[1]) Talem in modum ipsa fabula finita est Acharn. 718, Vesp. 1121, Pax 816, Aves 850, Eccles. 729, Plut. 781.

[2]) Revera Euripidem tale foedus cum mulieribus fecisse et quasi palinodiam postea composuisse sibi finxit auctor vitae Euripidis (Eurip. fab. rec. Kirchhoff Berolini 1867 p. IX): *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι αἱ γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ βουλόμεναι ἀνελεῖν. ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ.— — βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν. ἐν γοῦν τῇ Μελανίππῃ περὶ αὐτῶν τάδε φησί·*

μάτην ἄρ' εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρῶν ψόγος
ψάλλει . . . . . .
αἳ δ' εἴσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω.

[3]) l. l. p. 19.

»*So scheint Aristophanes, indem er die Resultatlosigkeit des Kampfes gegen die Weiber höchst drastisch zum Ausdruck bringt, gleichzeitig auf den darin liegenden künstlerischen Fehler des Euripides haben hinweisen wollen*«.

V.

DE COMOEDIAE PARTIBUS INTER HISTRIONES DISTRIBUENDIS.

Thesmophoriazusarum partes inter actores dispertiendas primus suscepit R. Enger[1]) neque multo post illum C. Beer[2]) accuratius et felicius eandem rem tractavit, ea potissimum re de Thesmophoriazusis bene meritus, quod magnum numerum mulierum, quae in fabula agere videntur, certis eisque exiguis finibus circumscripsit. In gravioribus plane cum eo consentio; tamen leviora quaedam occurrunt, quae me movent, ut denuo de comoediae partibus inter histriones distribuendis pauca disseram.

Initium facio quaestionis ab ipsius Beerii[3]) verbis: »*Es ist im Laufe unserer Untersuchung zu wiederholten Malen darauf aufmerksam gemacht worden, dafs der Dichter das Auftreten und Abgehen der handelnden Personen überall passend motiviert habe*«. Acu tetigit homo doctus eam rem, qua nitatur oportet is qui in distributionem partium actorumque numerum inquirit. Itaque nos quoque priusquam distribuendi munere fungamur, quomodo Aristophanes personas aut inducat aut amoveat quasque utriusque rei afferat causas videamus. Qua cum re apte, opinor, coniungetur altera quaestio, qua scilicet ratione poeta spectatores, quippe qui personarum catalogo ut ita dicam careant, de nominibus eorum qui agunt certiores faciat. —

v. 1. *Εὐριπίδης* et *κηδεστής* in scenam prodeunt. Nomen Euripidis statim affertur v. 4 *ὠὐριπίδη*. Subsistunt ante

---

[1]) De histrionum in Aristophanis Thesmoph. numero, progr. Oppeln 1840.

[2]) *Über die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, Leipzig 1844 p. 61 sqq.*

[3]) l. l. p. 61.

domum aliquam, quam Agathonis esse spectatores ab Euripide docentur 29 sq. *ἐνταῦθ' Ἀγάθων ὁ κλεινὸς οἰκῶν τυγχάνει.*

v. 36. *Θεράπων Ἀγάθωνος* in publicum prodit ab Euripide indicatus: *ὡς ἐξέρχεται θεράπων τις αὐτοῦ.*

v. 71. *Θεράπων Ἀγάθωνος* decedit postquam sacra poetica peregit. v. 74 de Mnesilocho quoque spectatores docentur, quem a principio prologi senem esse et liberum et Euripidis familiarem viderunt; ipse Mnesilochus Euripidem *κηδεστήν* suum appellat neque certius quicquam nos de eo omnino accipere supra vidimus.

v. 95. *Ἀγάθων* apparet; adventus eius praenuntiatur a servo v. 66 *αὐτὸς γὰρ ἔξεισιν τάχα*, indicatur ab Euripide: *Ἀγάθων ἐξέρχεται.*

v. 265. *Ἀγάθων* decedit; ipse causam affert abeundi: *ἀλλ' ἔχεις γὰρ ὧν δέει εἴσω τις ὡς τάχιστα μ' ἐκκυκλησάτω.*

v. 279. *Εὐριπίδης* abit: *ἐγὼ δ' ἄπειμι.* Decedere eum opus est *ὡς τὸ τῆς ἐκκλησίας σημεῖον ἐν τῷ Θεσμοφορείῳ φαίνεται.*

v. 279. *Θρᾷττα* serva adest; nulla eius ad id tempus mentio facta est.

v. 293. *Θρᾷττα* abire iubetur: *σὺ δ' ἄπιθ', ὦ Θρᾷττ', ἐκποδών· δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.* Interea chorus Thesmophoriazusarum tacite in orchestram introiit[1]); eodem tempore nonnullae mulieres cum servis[2]) absunt.

v. 295. *Κῆρυξ*[3]) contionem mulierum incohat. Roganti illi quis verba facere velit respondet

v. 380. *Γυνὴ Α.* Chori verba 381 sq. omnium oculos ad eam convertunt.

v. 443. *Γυνὴ Β* dicere incipit: *καὐτὴ παρῆλθον κτλ.*

v. 458. *Γυνὴ Β* decedit: *ἀλλ εἰς ἀγορὰν ἄπειμι· δεῖ γὰρ ἀνδράσιν πλέξαι στεφάνους — εἴκοσιν.*

v. 575. *Κλεισθένης* in scenam prodit; adventus eius v. 571 sq. *καὶ γὰρ γυνή τις ἡμῖν ἐσπουδακυῖα προστρέχει* a choro

---

[1]) Thesm. 288 sqq.

[2]) Thesm. 537, 728, 739.

[3]) *Ἱέρεια* Velsen, Beerium secutus.

nuntiatur; quis revera sit spectatores docentur vv. 576, 602, 634 *ὦ Κλείσθενες.*

v. 654. *Κλεισθένης* scenam rursus relinquit, ut rem ad prytanes deferat: *ἐγὼ δὲ ταῦτα τοῖς πρυτάνεσιν ἀγγελῶ.*

v. 759. *Γυνὴ Γ* adest; id verba mulieris *Α* testantur: *ἐπειδήπερ πάρει.*

v. 764. *Γυνὴ Α* scenam relinquit praetendens causam: *λαβοῦσα Κλεισθένη τοῖσιν πρυτάνεσιν ἃ πεποίηχ' οὗτος φράσω.*

v. 871. *Εὐριπίδης ὡς Μενέλεως.* Adventus eius praeparatur eo quod Mnesilochus Helenae personam 850 sqq. sumpsit.

v. 927. *Εὐριπίδης* aufugere cogitur, quod prytanis appropinquat: *ἀλλ ὑπαποκινητέον.*

v. 929. *Πρύτανις καὶ τοξότης.* Venturos eos esse conicere licebat spectatoribus e v. 654 *ἐγὼ δὲ ταῦτα τοῖς πρυτάνεσιν ἀγγελῶ* et 764 *τοῖσιν πρυτάνεσιν ἃ πεποίηχ' οὗτος φράσω.* Praeterea adventus eorum a muliere *Γ* indicatur: *προσέρχεται γὰρ ὁ πρύτανις χὠ τοξότης.*

v. 935. *Γυνὴ Γ* tacite abscedit.

v. 946. *Πρύτανις καὶ τοξότης* cum Mnesilocho abeunt; praeses quod officio suo defunctus est, poena in affinem Euripidis constituta, Scytha a praeside iussus reum abducere: *δῆσον αὐτὸν εἰσάγων ὦ τοξότ' ἐν τῇ σανίδι.*

v. 1001. *Τοξότης* cum Mnesilocho redit, id quod iussus erat v. 931 *κἄπειτ' ἐνθαδὶ στήσας φύλαττε.*

v. 1056. *Εὐριπίδης ὡς Ηχώ.* Ipse nomen suum profitetur v. 1059 *Ηχώ, λόγων ἀντῳδὸς ἐπικοκκάστρια.*

v. 1064. *Εὐριπίδης* abit, ut reliquas Echus partes post scenam agat.

v. 1098. *Εὐριπίδης ὡς Περσεύς.* Quis sit ipse eos qui spectant docet tragoediae verbis: *Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυστολῶν.*

v. 1134. *Εὐριπίδης* infecta re decedere coactus id ipse indicat v. 1131 sq.: *ἀλλ' ἄλλην τινὰ τούτῳ πρέπουσαν μηχανὴν προσοιστέον.*

v. 1160. *Εὐριπίδης* cum Elaphio redit; saltatricis mentio fit v. 1172 sq.: *καὶ σόν, ὦλάφιον, ἃ σοι καθ' ὁδὸν ἔφραζον, ταῦτα μεμνῆσθαι ποιεῖν*[1]).

[1]) Vulgaris est opinio, Euripidem Teredonem quoque tibicinem, quem v. 1174 appellat, secum duxisse. Sed tibicen iamdudum in orchestra adest neque opus est altero.

v. 1201. *Τοξότης* cum Elaphio abit; res comprobatur v. 1193, indicatur 1198 *ἀκολούτει, τέκνον.*

Comoedia ad eventum festinat, quia nodus qui dicitur fabulae expeditus est.

v. 1209. *Κηδεστής* liberatus aufugere iubetur: *φεῦγε πρὶν τὸν τοξότην ἥκοντα καταλαβεῖν.* Una cum eo *Εὐριπίδης* decedit idque ipse affirmat: *ἐγὼ δὲ ταὐτὸ δρῶ.* Nam tali cum mutatione verba tradita *ἐγὼ δὴ τοῦτο δρῶ* non Mnesilocho sed Euripidi tribuenda videntur[1]). Euripidem ut totius fabulae principem extrema facere verba discessumque suum indicare aequum est.

v. 1210. *Τοξότης* cum Elaphio revertitur: *ὦ γραῖδι' ὡς καρίεντό σοι τὸ τυγάτριον.*

v. 1214. *Ἔλαφιον* a Scytha abigitur: *ἀπότρεχ' ὡς τάχιστα σύ*[2]).

v. 1225. *Τοξότης* profugos persequitur: *ἀλλὰ τρέξι.* —

Satis copisse rem tractavimus; iam quas leges usus Aristophanei constituere liceat videamus:

Poeta diligenter id agit, ut eos qui spectant de nomine atque indole omnium personarum vel per ipsas illas vel per alias certiores faciat.

Poeta personas tantummodo certissimis de causis vel prodeuntes vel decedentes facere studet.

Quas leges sicubi ab Aristophane laesas esse videmus — et vidimus supra eas revera non semper servatas esse — quaerere

[1]) cf. Blaydes. Thesm. Hal. Sax. 1880 ad versum.

[2]) Puellam omnino in scenam non redisse non modo nullis comprobatur causis sed etiam a veritate valde abhorret. Verba *ἀπότρεχ' ὡς τάχιστα σύ* ad pharetram a Scytha abiectam referre, ineptum videtur, quamquam e rectissima sententia ortum est, barbarum stulte agere, quod saltatricem, cuius auxilium in Euripide puniendo magni momenti est, dimittat. Sed id non curat poeta, quamvis a nostro alienum sit iudicio, ut subtiliter rem nobis probet. Prae ceteris scenam vacuam fieri vult; propterea Scytham iracundia occaecatum puellam propellentem facit. — Ceterum mirandum est quod Velsen hoc loco malam Blaydesii coniecturam *διέβαλλο μ' ὦ γραῦ* in textum recepit. Scytha non iam lenam alloquitur, sed postquam nomine eius pronuntiato interstitium fecit, frustra responsum expectans — nam id hoc quidem loco imperfecto versu exprimere voluit poeta cf. Acharn. 404, Nub. 222 — aoristi tempore usus se ab Euripide deceptum esse confiteatur necesse est. —

iuvat, unde talis licentia orta sit. Revertamur igitur ad eos locos, quibus poetam se remisisse animadvertimus.

Offensionem praebuit prae ceteris, quod v. 279 serva Thratta plane ex improviso inducitur. Digna videtur res, quae accuratius excutiatur. Euripides Mnesilochum in Thesmophorium ire iubet, cum signum contionis iam in aede appareat. Affinis obsequitur tragico hortanti neque vero solus iter ingreditur, sed comitante serva, de qua ad id tempus nihil comperimus. Undenam adest illa? Num a principio fabulae eam in scena fuisse putabimus? Multa impediunt. Neque enim Mnesilochus statim ex prologi initio consilium cepit vel cepisse fingitur, mulierum contioni clam interesse. Itaque si una cum eo Euripideque comites aliquos in scenam prodisse putabimus, id quod veterum more revera postulatur, non de serva sed de servo cogitandum esset, qui postea in ipsa scena haud aliter atque ipse Mnesilochus muliebri veste tegendus erat. Praeterea Thratta quasdam res ad sacrum faciendum[1]) secum affert, quae ab initio fabulae adfuisse non possunt, ob eandem quam supra attulimus causam, scilicet quod Mnesilocho, cum in scenam prodibat, nondum de sacrificando cogitare licebat. Putabimusne igitur servam tacite paulo antequam Mnesilochus eam sequi iubeat vel eodem demum temporis momento prodisse, nullo indicante, hortante, probante? Mitigari videtur res, quod de muta quae dicitur persona eaque serva agitur. Neque enim quisquam ignorat, servos sicut in vita cotidiana ita in scena et comica et tragica nihili fere aestimari neque nisi particulam quasi et scenici et civilis apparatus haberi. Ubique igitur adsunt tamquam res quae a natura postulatur[2]) cumque vili eorum pretio consentit quod indefinito saepe pronomine significantur[3]). Itaque non valde miramur, quod Aristophanem in tractandis servorum personis liberius se gerentem videmus. Hac ratione ut exemplum afferam Mania serva[4])

---

[1]) Thesm. 284: *ὦ Θρᾷττα τὴν κίστην κατάθου κἄτ' ἔξελε τὰ πόπανα.*

[2]) Itaque aliquis *μόνος* appellatur etsi servi eum comitantur: Eurip. Electr. 628 sq.

πόσων μετ' ἀνδρῶν; ἦ μόνος δμώων μέτα;
— οὐδεὶς παρῆν Ἀργεῖος, οἰκεία δὲ χείρ.

[3]) Thesm. 238: *ἐνεγκάτω τις ἐνδόθεν δᾷδ' ἢ λύχνον.*

[4]) Thesm. 728 sqq.

repente inducta satis comprobatur, cum naturae conveniens sit, ut servulae mulieres Athenienses in Thesmophorium quoque prosequantur: *Θρᾶττα* ne hoc quidem modo ferenda est. Quid igitur faciamus? Num Zielinskio[1]) credamus, qui totum Mnesilochi cum serva colloquium e superstite Thesmophoriazusis expellendum perditaeque eiusdem nominis fabulae tribuendum esse censet? Non opus est tanta vi: Thratta neque a principio comoediae adest neque hoc demum loco subito in scena apparet; deest omnino, commenticia est persona, quae a Mnesilocho adesse fingitur. Fingit ille se tamquam mulierem Atticam cum servula in Thesmophorium ire[2]); fingit se illa administrante sacra facere Thesmophorosque adorare. Fictam denique servam abire iubet v. 293: *δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.* Quam causam cum ipsa fabula refelli putarent[3]) Meineke[4]) versum eiecit, Zielinski sententiam suam quam supra indicavimus aliquid confirmari arbitratur. Tamen non est cur verba illa deleantur; immo ut versus retineatur suadet illa lex, quae causam a poeta addi vult, quotiens aliqua persona scenam relinquit. Aristophanes facit Mnesilochum personam suam usque ad finem tam fideliter tuentem, ut etiam fictam illam servam — in hac re summa iocandi vertitur — satis severe et diligenter removeat. Quid refert quod non multo post causam illam qua Aristophanes modo servae discessum comprobavit ipsa fabula redargui videmus[3])? Nimirum postea servis opus est, quae mulieres in afferendis lignis adiuvent: ergo adsunt. —

Ceteri loci, quibus Aristophanem personarum discessus non satis certis argumentis adstruere viderimus, actorum paucitate explicantur.

Perspicuum est comicum in parvo trium histrionum numero requiescere nequivisse, cum circa versum 928 quinque personae una in scena versentur: *κηδεστής, Εὐριπίδης, πρύτανις, τοξότης, γυνὴ Γ.* Rectissime de hoc quidem loco iudicavit Beer[5]), et prae-

---

[1]) l. a. 81 sq., 93.

[2]) Revera eodem remanet loco; revera non Mnesilochus ad Thesmophorium sed Thesmophorium ad Mnesilochum accedit.

[3]) v. 728 sqq. servae adsunt.

[4]) Velsen quoque in editione Meinekium secutus est.

[5]) l. a. 78 sq.

sidis cui pauci solum versus recitandi sunt personam parachoregema quod vocatur habendam esse et personam Scythae qui usque ad v. 946 nihil omnino loquitur; post v. 946 actor personae mulieris *Γ*, quam silentio se subduxisse supra mirati sumus, — iam cur id fecerit apparet — partes barbari, qui cum Mnesilocho aliquamdiu[1]) scenam relinquit, agendas suscipit.

Quod autem Beer etiam mulierem *B* quae brevi habita oratione 458 decedit parachoregema esse arbitratur, multum abest ut ei assentiar. Nam quamvis salse Aristophanes eius discessum probare studeat, ridicule verbis *δεῖ γὰρ ἀνδράσιν πλέξαι στεφάνους συνθηματιαίους εἴκοσιν* ea confutans, quae paulo ante illa Euripidi opprobrio dedit, tamen revera abire videtur ut novam — Clisthenis — personam sumat.

Sed priusquam nobis partes mulieris *B* tritagonistae — protagonista interea Mnesilochum, deuteragonista mulierem *A* agit — tribuere liceat, decertandum est cum Beerio, qui sacerdotis personam per illum sustineri arbitratur. Improbat enim homo doctus vulgatam quae additamento codicis G nititur opinionem, vv. 295—311 et 332—351 praeconis esse atque sacerdotem potius quandam sacris sollemnia consecrantem ea verba recitasse censet. Sed quamquam concedatur oportet, nonnulla in eis versibus occurrere, quae cum sacerdotis potius quam praeconis indole conspirent, tamen tenendum est, ab initio fabulae contionis non sollemnium speciem praevalere. Sacra vero omnino facta esse uno versu 693 cuius verba *ἐπὶ τῶν μηρίων* etiamsi tragica non sunt tamen elata quadam dictione nil nisi *ἐπὶ τοῦ βωμοῦ*[2]) significare videntur, parum comprobatur, quia eo loco quo prae ceteris eorum mentio erat facienda[3]) — »nihil enim fere fit in Graecorum tragoediis comoediisque quin fieri simul indicetur oratione«, M. Haupt opusc. II 460 — non commemorantur. Sed Beer postea quoque illius sacerdotis vestigia reperit, cum mulierem *Γ* cui Mnesilochus v. 762 custodiendus traditur, eandem esse sacerdotem censeat. Quod ne concedam primum impedit obscurum mulieris nomen *Κρίτυλλα* totaque illius personae rustica indoles; deinde — ipse Beer id cognovit — quod eorum quae in contione facta

[1]) Thesm. 946—1001.

[2]) cf. Fritzschium ad vers.

[3]) circa v. 295.

sunt adeo inscia est ut v. 893 Euripidi narret, Mnesilochum *ἐπὶ κλοπῇ τοῦ χρυσίου* in Thesmophorium venisse Scythaeque aequet inscitiam, qui idem v. 1112 affinem Euripidis »*κλέπτο*« esse arbitratur. Magis igitur praeferenda videtur haec coniectura, Crityllam esse mulierem *B*, quae viginti illis coronis nexis, revera Clisthenis partibus actis, in scenam redire fingitur. Sane Aristophanes id non aperte profitetur; sed ea ipsa de causa quod mulieris adventum v. 759 nullis adstruit argumentis — tantummodo per mulierem *A* *ἐπειδήπερ πάρει* Crityllam adesse docemur — non de nova quadam persona sed de muliere spectatoribus bene nota agi efficimus.

Sed quid inquies cum praeconis vel si Beerii sententia valet sacerdotis persona faciamus? Num uni vel duobus[1]) parachoregematis sustinendam trademus? Neque hoc neque illud mihi placere confiteor. Si uni dabimus ampliores fiunt eius partes quam quae cuilibet tradi possint; si cum Velseno et sacerdotem et praeconem adfuisse putabimus, numerus parachoregematum nimis augetur[2]). Equidem omnino de parachoregemate non cogitem sed vv. 295—311, 332—351, 372—380 a chori duce recitatos esse statuere malim. Quam sententiam quae primo quidem oculorum obtutu audacior tibi videbitur, vix proferre auderem nisi de Thesmophoriazusarum fabula ageretur. Recte de eius indole Droysen[3]): »Mulierum chorus cum actoribus causam suam coniunctim agit, ita quidem ut quae histriones agant eadem eodem tempore ac modo ipsi choreutae faciant. — Mulieres (*A* et *B*) quae ad Thesmophoriazusarum conventum — i. e. choreutas mulierum partes agentes — verba faciunt, ipsae sunt *θεσμοφοριάζουσαι* nec dignitate nec sapientia illis superiores.« In hac rerum partiumque condicione non iniquum videtur contionis gubernacula ad chori ducem referre[4]). Immo perspicuum

---

[1]) Velsen vv. 295—310, 332—351 sacerdoti; vv. 372—379 praeconi dat.

[2]) Aristophanem parcum esse in loquentibus parachoregematis adhibendis — mutis personis comoediae abundant — Pacis fabulae vv. 1255 sqq. docere possunt quo loco armorum institor pro reliquis qui cum eo in scenam venerunt, verba facit, quamvis cum natura parum conspiret.

[3]) Quaestiones de Aristophanis re scenica, diss. Bonn 1868 p. 67.

[4]) Si nimis grave versuum onus coryphaeo imposuisse videor, vide quaeso, quot reliquae fabulae versus Velsen Arnoldtium *(Die Chorpartien bei Aristophanes, Leipzig 1873)* maxime secutus illi tribuerit.

est in illo simplicissima ratione duplicem et sacerdotis et praeconis indolem, quam ex eis de quibus agimus versibus tolli nequire supra confessi sumus, intellegi atque ferri posse. Praeterea si vulgari probata opinione praeconem, vel Beerium secuti sacerdotem quoque adfuisse censebimus, quonam tempore quaque de causa abisse eas putabimus? Aristophanes ut supra vidimus non consuevit personas suas clam summovere. At coryphaeum in reliqua quoque contione mulieribus praeesse videmus. Is quoque vv. 571 sqq. Clisthenem prospiciens advenientem[1]) Mnesilochi mulierisque *A* altercationem finiendam curat.

Quodsi mihi contigit ut sententiam meam tibi probarem, hac ratione partes inter comoediae personas distributae fuisse existimandae sunt:

Protagonista	Deuteragonista	Tritagonista
	Εὐριπίδης 1—279	*Θεράπων Ἀγ.* 1—70
	Γυνὴ A 381—764[2])	*Ἀγάθων* 96—265
Κηδεστής 1—1209	*Εὐριπίδης* 871—927	*Γυνὴ B* 295—458
	Εὐριπίδης 1056—1097	*Κλεισθένης* 575—654
	Εὐριπίδης 1098—1132	*Γυνὴ B* (vulgo *Γ*) 760—935
	Εὐριπίδης 1160—1209	*Τοξότης* 1001—1225

Parachoregemata: *Τοξότης* 929—946
Πρύτανις 929—946
[*Ἐλάφιον* 1160—1214][3]).

[1]) Clisthenes tribus demum versibus postquam a chori duce conspectus esse fingitur in scenam prodit. Inde in qua orchestrae parte coryphaeus inter contionem locum habuerit — nimirum ad ipsum proscenium Thesmophoriumque in eo repraesentatum adsteterit oportet, ut parodum orchestrae oculis perlustrare posset — probabiliter colligemus.

[2]) Thesm. 764 mulier *A* scenam relinquit, ut Euripidis partes, quas etiam in prologo egit eius actor, suscipiat. Velsen vv. 761—764 ut spurios delendos esse censet novamque mulierem advenisse negare videtur. Sed quonam tempore mulierem *Γ* quae nihilominus apud Velsenum ad v. 852 adest intrasse existimat? An eandem arbitratur mulierem Mnesilochum usque ad v. 935 custodire? Tum illa etiam inde a v. 852 non per litteram *Γ* sed per litteram *A* signanda erat.

[3]) Fortasse Elaphii partes revera a femina actas esse suspicari licet.

VI.

SCENICA. — VARIA.

Ambigitur inter doctos homines, qui de veteris comoediae re scenica egerunt, utrum in Thesmophoriazusis scena mutata sit necne. Schoenborn[1]) et Droysen[2]) v. 279 vel 276 scenae conspectum commutatum esse affirmant. Niejahr[3]) qui contrariam defendit causam neque in ullo veterum dramate scenam mutatam esse contendit suo iure difficultates et fere ineptias quae ex Schoenbornii Droysenique[4]) oriantur coniecturis reprehendit. Quod autem ipse ab initio comoediae aedem Thesmophororum et iuxta domum Agathonis in scena repraesentatam fuisse arbitratur, facere non possum, quin eius quoque incusem levitatem qua antiquam ad v. 277 parepigrapham ἐκκυκλεῖται ἐπὶ τὸ ἔξω τὸ θεσμοφόριον ut »miram« abiciat. Nam cum parepigraphis illis magnam auctoritatem tribuendam esse constet[5]), non illud primum quaeritur num »alio quoque loco tota aedificia eccyclemate promota esse probetur«, sed utrum per machinae indolem fieri liceat necne. Quod cum negari nequeat, meo quidem arbitratu post v. 276 simplicissima quaedam aedis effigies adumbrata — ex Hauptii de Acharnensibus insigni commentatione[6]) cognoscere licet, quam exigua veritatis specie veteres contenti fuerint — eccyclemate provecta est.

In reliquis plane cum Niejahrio consentio; Mnesilochus scenam non relinquit, sed cum eodem remaneat loco spectatores credere

---

[1]) *Die Skene der Hellenen, Leipzig 1858 p. 302 sq.*

[2]) l. a. p. 69.

[3]) Quaestiones Aristophaneae scenicae. diss. Gryphisw. 1877 p. 32 sq.

[4]) Thratta, serva molestissima, homines doctos movit, ut miras proferrent sententias. Schoenborn putat Euripidem et Mnesilochum in medio versu 279 abisse atque deinde solum affinem cum serva prodeuntem versum complevisse. Droysen arbitratur, tragicum cum affine v. 276 scenam reliquisse, deinde mutata scena comitante Thratta iterum prodisse, denique Euripidem duobus versibus recitatis denuo decessisse.

[5]) Diligenter in eas inquisivit Holzinger, *Über die Parepigraphae zu Aristophanes, Wien 1883.*

[6]) Opusc. II 458—466.

iubentur, eum ab aedibus Agathonis ad Thesmophorium migrasse. *Θύριον* Agathonis, Thesmophorio v. 276 in orchestram quae iam per aliquantum temporis spatium pnycem significatura est provoluto, propriam quam in prologo habuit speciem plane amittit neque in reliqua fabula est nisi altera earum *διόδων*, quibus Aristophani opus esse infra videbimus ut personas suas post scenam abducere possit.

Sed priusquam de reliquo scenae apparatu pauca adiciam, ea corrigantur necesse est quae adhuc homines docti de ratione in scenam prodeundi vel ex ea abeundi suspicati sunt. Nam nuperrime per Doerpfeldium[1]) vulgaris de theatro Attico saeculi quinti opinio infracta est atque debilitata neque ulla iam remanere videtur dubitatio, quin Aristophanei histriones una cum choro in orchestra orbiculata egerint.

Permultae offensiones quas Thesmophoriazusarum fabula interpretibus praebuit simpliciter illa re removentur. Iam chorum optime cum actoribus coniunctam in contione causam agere potuisse apparet.

Prae ceteris ea quae Droysen[2]) de scenae portis earumque usu coniecit, emendatione indigent, cum non iam liceat dubitare, quin saepius histriones eadem via qua choreutae per parodos scilicet intraverint vel decesserint. Pulpito igitur periactisque abiectis novaque addita delineatione quae propius ad veritatem accedit, obsoletam hominis docti sententiam emendare conabor.



Fac per litteram A eam significari portam per quam v. 276 Thesmophorii effigies provehitur, per litteram B usque ad v. 276

[1]) cf. Kawerau in »*Denkmäler des klassischen Altertums*« s. v. *Theatergebäude.*
[2]) l. a. 71 sq.

θύριον Agathonis. Vel hoc vel altero aditu C[1]) ei utuntur qui post scenam abducuntur vel e domo quadam egredi finguntur[2]). Per parodos autem (D et E) praeter chorum ei introeunt, quos non e domo quadam sed e foro vel alia ex urbis terraeve regione advenientes facit Aristophanes[3]).

Intrant	versu	aditu	exeunt
Euripides et Mnesilochus	1	D	
Servus Agathonis	36	B	
	70	B	Servus Agathonis
Agatho	95	B	
	265	B	Agatho
	279	D	Euripides
Chorus	281 sqq.	D	
Mulieres A et B cum servis	294	D	
	458	D	Mulier B
Clisthenes	575	D	
	654	D	Clisthenes
	729	C	Mulier A cum serva Mania[4])
Mulier A cum serva	739	C	
Mulier B (vulgo *Γ*)	759	D	
Euripides	871	E	
	927	E	Euripides
Prytanis cum Scytha	929	D	
	946	D	Prytanis
	946	C	Scytha cum Mnesilocho
Scytha cum Mnesilocho	1001	C	
	1006	C	Scytha
Euripides	1009	D	Euripides[5])

[1]) Inscriptione in theatro Oropio inventa [*Α*]*ΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ ΤΟ ΠΡΟΣΚΗΝΙΟΝ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΙΝ*[*ΑΚΑΣ*] verisimile fit, hos aditus nil nisi intercolumnia fuisse, una quadam earum tabularum (*πίνακες*) quae inter columnas insertae proscenium efficiebant omissa.

[2]) Id poeta vocabulis *εἰσιέναι* vel *ἐξιέναι* significat. cf. Droysen p. 3 sqq.

[3]) De his voces *προσιέναι* vel *ἀπιέναι* usurpantur. cf. Droysen p. 12 sqq.

[4]) Thesm. 726 *ἐκφέρειν τε τῶν ξύλων.*

[5]) Thesm. 1011 *Περσεὺς ἐκδραμών.*

Intrant	versu	aditu	exeunt
Scytha	1015?	C	
Euripides	1056	B	
	1066	B	Euripides
Euripides	1098	E	
	1135	E	Euripides
Euripides cum Elaphio	1160	D[1])	
	1201	C	Scytha cum Elaphio
	1209	D	Euripides cum Mnesilocho
Scytha cum Elaphio	1210	C	
	1214	D	Elaphium
	1225	E	Scytha
	1230	D	Chorus.

Restat ut pauca illa addam, quae de reliquo scenae apparatu probabiliter statui possunt. Ante Thesmophorium Cereris Proserpinaeque simulacra ut *τοῖν θεσμοφόροιν θεοῖν* conspecta fuisse Droyseno[2]) quidem verisimillimum videtur esse »cum his duabus Mnesilochus sub mulieris persona sacra offerat«. Erravit homo doctus, cum sacra ipsa commenticia esse supra viderimus. Neque enim *ταδὶ τἀγάλματα* v. 773 ut nonnulli falsa interpretatione explicaverunt dearum simulacra sunt, sed tabulae votivae (*πίνακες*), quas Palamedis parodia postulat. At aram ante Thesmophorium positam fuisse votivis illis tabulis ornatam satis multis efficitur locis. Illa Aristophani opus est ut Telephum et praecipue Helenam illudat; nam sicuti templum Thesmophororum aedium Theoclymeni vice fungitur, ita ara, in quam affinis v. 689 refugit, sepulcrum Protei significat, in quo Helena Euripidea supplex assidere fingitur. Tamen aram illam non tam ad proprium comoediae quam ad universum theatri apparatum pertinere existimem. Nam cum ex eis quae in Piraei theatro reperta sunt cum summa veritatis specie colligere liceat, in media orchestra omni tempore aram fuisse positam, in eam Mnesilochum secundum Telephi exemplar confugisse credemus. —

[1]) Thesm. 1173 *καθ' ὁδὸν ἔφραζον.*

[2]) l. a. p. 70.

Pauca adicio quae in tractanda Thesmophoriazusis mihi occurrerunt:

v. 176 docti dissentint Mnesilochone an Agathoni vocabulum *λέγε* sit tribuendum. Recte opinor Kusterus Brunckius Bothius Euripidis affini dederunt, si sententiarum modo nexum satis perspicio. Aristophanes id quod sibi proposuit assecutus est, utrumque poetam tragicum perstrinxit. Iam eo unde digressus est ad ipsam scilicet fabulae actionem rediens Euripidem voce *ἀλλά*[1]) colloquium cum Mnesilocho abrumpentem facit veniamque petentem ut sibi id cuius gratia ad Agathonis domum venerit proferre liceat. Quae venia mea quidem sententia optime a Mnesilocho, quippe qui usque ad id tempus conviciando Euripidem verba facere prohibuerit, petitur daturque. Mnesilocho igitur illud *λέγε* attribuamus, praesertim cum nomen Agathonis in initio versus sequentis positum demonstret, Euripidem iam demum ad illum se convertere[2]). —

vv. 757 sqq. hoc modo ab editoribus inter actores distribuuntur:

Γυνὴ Α κακῶς ἀπόλοι᾽ ὡς φθονερὸς εἶ καὶ δυσμενής.
Κηδ. τουτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερείας γίγνεται.
Γυνὴ Α τί τῆς ἱερείας γίγνεται;
Κηδ. τουτί . λαβέ.
Γυνὴ Γ ταλαντάτη Μίκα, τίς ἐξεκόρησέ σε κτλ.

Miror plerosque interpretes in tali versuum distributione acquievisse. Nam quomodo mulier *Α*, postquam Mnesilochum vidit vinum effundentem vel potius haurientem, interrogare possit, cum ille sacralem ritum ironice servans[3]) sacerdoti inanem pellem dedicet, *τί τῆς ἱερείας γίγνεται*, parum intellego.

Haesit in hac re Bakhuyzen[4]) qui v. 758 delendum esse eiusque loco alium quendam Mnesilochi versum excidisse suspicatur. Beer[5]) versus 758 sqq. hoc modo distribuens:

Γυνὴ Γ τουτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερείας γίγνεται.
Κηδ. τί τῆς ἱερείας γίγνεται; Γυνὴ Γ τουτί. Κηδ. λαβέ

[1]) cf. Thesm. 748.
[2]) cf. Thesm. 218, 249.
[3]) cf. 693 sqq.
[4]) l. l. p. 122.
[5]) l. a. p. 75.

haud minus inepte, quam in vulgata distributione mulier *A* interrogare solet, Mnesilochum facit quaerentem *τί τῆς ἱερείας γίγνεται.* Praetera Beerii sententia nititur opinione, mulierem *Γ* esse Thesmophororum sacerdotem, quam falsam esse supra demonstravi. Blaydes denique de interpolatione cogitat vel quoniam altera quoque ratio sanandi ei semper praesto est, de versuum transpositione. Facilius opinor res expediri potest. Nihil aliud commutandum est, nisi ut novam mulierem *B* (vulgo *Γ*) paulo prius, quam fieri solet, inducamus eique tribuamus molesta verba *τί τῆς ἱερείας γίγνεται.* Qua levi mutatione quae fere nulla est efficitur ut sententiae optime procedant. Mnesilochus cum utrem exhausit pellem vacuam sublevans dicit: »haec pellis sacerdotis est«. Tum nova mulier adveniens postremis solum affinis verbis auditis, ipsius vero rei inscia interrogat: »quid sacerdotis est«? »Haecce«, inquit Mnesilochus, »accipe«, pellemque ei obicit. Tum vero illa pellem ut reliquias infantis Micae agnoscens matrem orbatam deplorare incipit:

ταλαντάτη Μίκα τίς ἐξεκόρησέ σε κτλ. —

Valde inter se dissentiunt interpretes Thesmophoriazuarum quaerentes, quonam tempore Euripides sub finem comoediae lenae personam sumpserit. Berglerus ad v. 1172 adnotat scholiastam[1]) secutus: »introducitur hic Euripides tamquam vetula ac lena ut in sequentibus patet«. Improbat illam opinionem Fritzsche cum dicat »Euripidem in pulpito tam subito vestem mutare non potuisse«; quod autem ipse tragicum iam v. 1160 lenae anus habitu in scenam prodisse statuit, iure displicet Engero »quod Euripides v. 1160 sqq. feminas suo nomine alloquitur«. Sed Enger quoque sicuti Berglerus in scholiastae adnotatione[1]) acquiescit, quam perversam esse apparet, cum Euripides etiam verba *ἐμὸν ἔργον ἐστίν* suo nomine pronuntiet. Indignae sunt quae confutentur Vossii ineptiae, qui Euripidem post v. 1171 abire et deinde cum Elaphio et Teredone redire existimat. Blaydes denique in locis dilucidis verbosissimus, hanc difficultatem silentio praetermittit.

Alium igitur locum investigemus quo Euripidi lenae personam sumere liceat primumque videamus quo tempore commutationem

---

[1]) schol. 1172 *Εὐριπίδης ἐν σχήματι προαγωγοῦ γραός.*

factam esse oporteat. Certe v. 1177 tragicus ut lena cum barbaro colloquitur. Contra usque ad v. 1171 Euripidem suo nomine loqui et agere necesse est; neque inter 1171 et 1172 quidquam agi poterat, cum initium versus 1172 ἐμὸν ἔργον ἐστίν cum chori verbis artissime cohaereat. Nullus igitur alius relinquitur locus nisi inter 1175 et 1176. Hic Euripides, postquam ministram suam quid faciat docuit, in ipsa scena personam lenae suscipit. Quae commutatio satis celeriter per novam aliquam vestem novumque πρόσωπον fieri poterat[1]). Praeterea e v. 1176 ἀνεγεῖρι Scytham dormisse efficitur. Donec igitur vestem mutavit Euripides, temporis spatium quod Elaphium saltando, Teredo tibiis canendo implet, ex poetae arbitrio produci potest. Tum demum Aristophanes fingit Scytham expergefactum quae sit strepitus causa interrogantem Euripidemque sub lenae persona respondentem:

ἦ παῖς ἔμελλε προμελετᾶν, ὦ τοξότα.

VII.

DE THESMOPHORIAZUSIS ZIELINSKIANA.

Siquis nostra aetate Thesmophoriazusis tractandae operam dat, vix facere potest, quin cum acerrimo fabulae adversario, Zielinskio, utcumque decertet. Cui si credimus, Thesmophoriazusae cuius virtutem in eis quae antecedunt compluries comprobantes admirati sumus, mala comoedia est eisque quae inter se pugnant referta. Statuit enim homo doctus fere haec[2]): Thesmophoriazusae altera, vulgo per litteram β signata, cuius pauca solum fragmenta ad nostram aetatem manserunt, idem plane habuit argumentum atque superstes eiusdem nominis fabula, de qua nos supra egimus; illam

[1]) Recte Wilamowitz me monuit Euripidem in ipsa scena vestem mutasse inde effici, quod tragicus v. 1203 postquam decepto Scytha lenae personam rursus abiecit servum »τουτί«, vestem scilicet qua ad imitandam lenam usus erat, auferre iubet.

[2]) *Die Gliederung der altattischen Komödie, Leipzig 1885 p. 79 sqq.*

autem docuit Aristophanes priorem, haec non est nisi comoedia genuina nescio qua de causa retractata et male retractata. —

Haec nova sententia debetur eis quae Zielinski[1]) de veteris comoediae »agone« quem vocat[2]) repperisse sibi videtur. Libenter confiteor Zielinskium mihi quidem multa probasse neque quemquam negaturum esse arbitror, Aristophanem revera in nonnullis fabulis quandam dramatis partem ad certas regulas conformasse. Temere autem homo doctus ea quae in parte fabularum satis diligenter et recte vidit, omnibus comoediis quasi communem et sacrosanctam legem statuit. Fabula superstes caret agone absoluto atque perfecto, quem Zielinski in quaque Aristophanis comoedia aut inesse aut aliquando fuisse vult: ergo mutilata est et retractata.

Non multum curaremus talem opinionem, nisi Zielinski ut eam comprobaret, in superstite comoedia quasdam occurrere res affirmasset, quae cum inter se pugnarent neque ullo modo coniungi possent, clare Thesmophoriazusas retractatam esse demonstrarent. Ab his criminibus fabulam defendere conabor: videbis Zielinskium nimis libenter offendisse, nimirum quia comoedia quacumque ratione ad opinionem eius firmandam in suspicionem vocanda erat.

»*Der mittlere Tag der Thesmophorien*«, inquit homo doctus[3]), »*war nicht blofs für die Menschen, sondern auch für die Götter ein Tag der Trauer und des Fastens. Es wurden keine Opfer dargebracht; dies geht nicht blofs aus der Gegenüberstellung beim Scholiasten (zu Vers 376) hervor* τῇ μέσῃ τῶν Θεσμοφορίων ἧ μάλιστ' ἡμῖν σχολή· ἐν γὰρ ταῖς ἄλλαις ἡμέραις περὶ τὰς θυσίας *γίνονται, sondern noch viel zwingender aus den Worten des Aristophanes selbst; Vögel 1519 sagt Prometheus:*

ἀλλ' ὥσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν
ἄνευ θυηλῶν.

Im allgemeinen wird diese Bestimmung auch in unserer »Nesteia«[4]) *vorausgesetzt. — — Nun aber sagt Mnesilochus (v. 284) zu seiner Begleiterin:*

---

[1]) l. a. 10—125.

[2]) Ceterum conferas eiusdem »*Eine Reform des Aristophanes*« *Philol. IIIL p. 67 adn. 6.*

[3]) 81 sq.

[4]) = Thesm. α.

ὦ Θρᾷττα τὴν κίστην κάθελε κἄτ' ἐξελε
τὰ πόπαν' ὅπως λαβοῦσα θύσω τοῖν θεοῖν.

Hierin liegt ein Widerspruch, der nur durch die Annahme, daſs wir es mit einem Überbleibsel aus der »Kalligeneia« [1]) *zu thun haben, erklärt, wenn auch nicht beseitigt wird«.* Eadem res iam Fritzschio [2]) praebuit offensionem. Is »affinem infeliciter personam mulieris egisse« existimabat, quam sententiam suo iure Zielinski ut desperatam repudiat. Nam quamquam poetam tali iocandi ratione alicubi lepide uti constat [3]), tamen non nisi in levioribus rebus [3]) Mnesilochum errantem fingere licuit, non tam gravi in re quae, si modo recte iudicat Zielinski, contra morem indolemque diei festi pugnat.

Sed accuratius examinemus testimonia quibus homo doctus nititur. Dubito num inde die Nestiae nulla omnino sacra facta esse efficiatur.

Adnotatione scholiastae qui verba *μάλισθ' ἡμῖν σχολή* explicare vult, nisi nimis urgetur, illud solum comprobatur, mulieres diem Calligeniae totum ad sacrificandum seposuisse; minime vero die Nestiae sacra omnino fuisse vetita. Neque plus valet alterum testimonium, cui Zielinski maiorem tribuit vim, contractiore quadam loquendi ratione deceptus; nam hunc fere in modum Promethei verba dilatanda sunt ut cum nostro dicendi genere conspirent: *ἀλλ' ὥσπερεὶ Θεσμοφορίοις ⟨αἱ γυναῖκες νηστεύουσιν ἄνευ σιτίων οὖσαι οὕτως ἡμεῖς νῦν⟩ νηστεύομεν ἄνευ θυηλῶν ⟨ὄντες⟩*, vel ut latine dicam: ut mulieres Thesmophoriis esuriunt cibi abstinentes, ita nos hocce tempore inedia afficimur cum nobis ab hominibus nulla sacra offerantur [4]).

Itaque ut caute dicam illud certe concedendum est, nos istam quoque rem sicut reliquam Thesmophoriorum indolem parum compertam habere. Sed etiamsi die Nestiae sacrificatum non esse certioribus argumentis posset comprobari, tamen non esset, cur Mne-

---

[1]) = Thesm. *β*.

[2]) l. a, p. 581.

[3]) cf. Ecclesiaz. 155, 189, 286, 298.

[4]) Eadem ratione locum intellegi video a Bachmanno, *Berl. phil. Wochenschr. 1888 p. 613*, qui istam loquendi rationem aliis quoque adstruit exemplis (Av. 402, 1549; Equit. 24; Lys. 361; Thesm. 648).

silochus sacrificans quicquam offensionis praeberet. Nam primum sacra illa, id quod supra ostendisse mihi videor, tantummodo finguntur neque τὰ πόπανα neque ἡ κίστη revera adsunt; deinde Aristophanes in comoediae principio aliquod sollemnium specimen spectatoribus praebeat oportet, cum in reliqua fabula speciem Thesmophoriorum plane neglegi videamus. Usque ad prologi finem ante domum Agathonis agebatur; tum ei qui spectant admonendi sunt, non iam urbis nescio quem locum, quo Agatho habitat, sed sacram Thesmophorii regionem sese conspicere. Quanam re id melius fieri poterat quam eo quod Mnesilochus mulieris Atticae personam agens Thesmophoris sacra facit votaque concipit?

Itaque hac quidem Zielinskii causa adduci nequimus ut affinem sacrificantem e superstite fabula expulsum comoediae perditae tribuamus. Alteram vero difficultatem, quam in v. 294 eiusdem scenae inesse Zielinski arbitratur, iamdudum expedivimus demonstrantes, Thrattam ut fictam personam omnino in scena non apparere. Immerito igitur illam Thesmophoriazusarum partem a Zielinskio in suspicionem vocari vides[1]).

Sed novam[2]) offensionem habet quae Thrattae scenam excipit parodus chori. Quae cum in quattuor partes sit divisa — bis praeco verba facit 295—311, 332—351, bis chorus ei respondet 312—331, 352—371 — Zielinski dittographiam constituere conatur, ut alteram parodum »Calligeniae« suae (Thesm. *β*) dare possit. Res parum e sententia hominis docti succedit, id quod ipse fateri

---

[1]) Mirum in modum Zielinski, ut opinionem suam comprobet, Hilleri sententia (vide supra p. 34 adn. 1) abutitur. Negat enim a grammaticis nomen Mnesilochi affini additum esse. In priore fabulae recensione revera Euripidis socerum Mnesilochum causam Euripidis inter mulieres defendisse, in fabula retractata (Thesm. *α*) Aristophanem quemlibet Euripidis affinem in Mnesilochi locum substituisse, quia socer tragici interea obisset. Retractat h. d. ineptam de Choerila Euripidis uxore, Mnesilochi filia quaestionem, denuo Hartungii (Eur. rest. I p. 282) perversam collaudans coniecturam, qua ille vocabulum χοῖρον v. 289 ad Choerilam alludere putavit. Rectissime U. de Wilamowitz Anal. Eurip. p. 149, *Eurip. Herakles I p. 7 adn. 12* evicit, Choerilam nil nisi comoediae fetum esse. Praeterea hoc potissimum loco filia affinis quam incertissima sit oportet, cum Mnesilochus se quamlibet esse mulierem Atticam fingat.

[2]) l. l. 84 sqq.

cogitur[1]). Immo nulla parodi pars desiderari potest; omnia suo loco stare atque plane immerito Zielinskium in duplici parodi forma haesisse[2]) statim videbis, dummodo singula paulo diligentius perlegeris. Priore loco 295—310 iubetur chorus a praecone, qui certo consilio pedestri sermone utitur, nimirum ut spectatoribus ἐκκλησίας imago quam maxime expressa ante oculos ponatur, universe de contionis futurae bono eventu vota nuncupare. At in posteriore parte 332—351 ad proprium fabulae argumentum transit Aristophanes. Ne hoc quidem loco formulas quasdam e publica vita repetitas in comoediae usum convertere omittit[3]); sed iam oratione utitur numeris vincta, iam Euripidis v. 337 fit mentio totaque adhortatio quae satis sollemniter incipit ad ludicrum deflectitur, cum domesticae mulierum molestiae et sollicitudines festive cum publicis curis coniungantur. Vereor ne venustior atque artificiosior transitus ad ipsam contionem fieri non potuerit. Multum igitur abest, ut ullam parodi partem — nam chori verba quippe quae duplici praeconis allocutioni respondeant a reliquis segregari non posse apparet — »Calligeniae« concedamus[4]).

Haec sunt quae Zielinski Thesmophoriazusis α opprobrio dat; vides eum offendisse in eis quae plana sunt, dummodo diligenter

---

[1]) p. 87: »*Dafs nun die beiden Gebete — — genaue Dittographieen seien, läfst sich in Hinblick auf die Verschiedenheit der angerufenen Götter nicht behaupten*«.

[2]) p. 84: »*Die ganze Parodos besteht aus zwei Gebeten des Chores, denen je ein Gebet der Sprecherin, erst in Prosa, dann in Trimetern vorangeht. Die Zweizahl ist . . . wir dürfen nicht sagen unzulässig, aber doch recht auffallend*«.

[3]) Apte comparari possunt Thesm. 335 sqq. cum plebiscito Demophanti, Andoc. *περὶ τῶν μυστηρίων* § 97: *ὁ δὲ ὅρκος ἔστω ὅδε· κτενῶ . . . . ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνησιν καί . . . . ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναστῇ ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ.*

[4]) Ne illud quidem Zielinskio concedo, priori praeconis adhortationi posteriora chori verba, posteriori autem eius allocutioni priores chori preces respondere. Satis aperte, ut gravissimam afferam rem, in chorico posteriore 356 sqq.:

ὁπόσαι δ' ἐξαπατῶσιν παραβαίνουσί τε τοὺς
ὅρκους τοὺς νενομισμένους
. . . . . .
ἢ ψηφίσματα καὶ νόμον
ζητοῦσ' ἀντιμεθιστάναι

ad posteriorem praeconis adhortationem, quae illos ipsos *νενομισμένους ὅρκους* (cf. psephisma Demophanti) continet, spectant.

expendantur. Neque tamen »Nestiam« ab iniustis criminibus defendisse satis habere velim; quoad inter angustos huius commentationis fines fieri possit, eam quoque quae a Zielinskio de amissae fabulae argumento mira profertur sententia, breviter percensere et confutare liceat.

Statuit Zielinski »natura rerum postulari ut eae comoediae quae diverso instructae sint, argumento, diversis quoque titulis inscribantur. Valde dubito, num recte id sibi sumpserit; nomina et comoediae et tragoediae plerumque a choro desumi neque multum ad ipsum fabulae argumentum constituendum valere nemo ignorat; ineptum igitur esset, e paribus titulis argumenta quoque eadem fuisse colligere. Utraque de qua agimus comoedia Thesmophoriazusae nominata est nimirum quod utriusque fabulae chorus e mulieribus Thesmophoria agentibus consistebat. Argumenta utriusque fabulae diversissima esse poterant.

Triginta fere amissae comoediae fragmenta supersunt, e quibus qui ante Zielinskii aetatem de »Calligenia« egerunt[1]) non ausi sunt efficere, utramque Thesmophoriazusas idem argumentum habuisse. Zielinskio melius contigit, ut reliquias fabulae amissae cum argumento superstitis comoediae conspirare intellegeret[2]). Sed ea qua ad hanc cognationem comprobandam utitur ratione facile posset demonstrare, Calligeniae fragmenta cum quavis comoedia antiqua concinere. Unius enim vocabuli similitudine movetur ut totos locos eosdem fuisse contendat. Quid quod ad tantam licentiam procedit, ut pro certo affirmet: »*Durch fragm. 331 ἀγὼν πρόφασιν οὐ δέχεται finden wir unsern Agon in der wünschenswertesten Weise bestätigt*«. Quasi nullo loco vocabulum *ἀγών* stare posset, nisi revera agon Zielinskianus sequeretur[3]). —

---

[1]) Bergk apud Meinek. fragm. com. graec. II 2 p. 1075; Fritzsche Arist. Thesm. p. 575 sqq.; Kock, com. attic. fragm. I 472 sq.

[2]) l. a. 91 sqq.

[3]) Eadem egregia ratione, quae vix indiget refutatione, in superstite fabula reliquias agonis mutilati repperisse sibi videtur. In posteriore parodi chorico occurrit v. 356 vocabulum *νικᾶν*. De illo Zielinski p. 87: »*Das νικᾶν*«, inquit, »*findet auf die Komödie, so wie sie uns vorliegt, keine Anwendung; es setzt einen Agon voraus, der in ihr nicht zu finden ist*«. Sed minime opus est Zielinskii agone, ut illud *νικᾶν* intellegatur; optime cum ratione contionis conspirat, in qua

Idem igitur si Zielinskio credimus Calligenia et Nestia argumentum habuerunt ita tamen ut fabula amissa superstitem comoediam multo superaret virtute. Nam cum comico agone Calligenia esset instructa tum chorus illius comoediae longe alio magisque egregrio colore imbutus erat quam ieiunae superstitis fabulae mulieres. Dignum est illud Zielinskii somnium quod consideretur, quia Thesmophoriazusis *α* nititur.

V. 96 sqq. Agatho eccyclemate provectus spectatoribus specimen artis suae dat; sunt verba actoris alicuius cum chori responsis permixta. J. H. Voss et R. Enger[1]) olim statuerunt illum chorum e Musis consistere, quae in domo Agathonis versari censendae essent. Quae mira opinio solum nititur vv. 41 sqq.:

ἐπιδημεῖ γάρ
θίασος Μουσῶν ἔνδον μελάθρων
τῶν δεσποσύνων μελοποιῶν.

Quae verba quid aliud significant nisi tumidiorem servi dictionem, qui sermonem domini imitatus graviter dicit: »Musae in aede herili versantur«, cum illud solum exprimere velit: »Dominus meus tragoediam scribere parat«? Recte Bakhuyzen[2]): »Famulum Agathonis ampullari ut in Acharnensibus Cephisopho nemo non animadvertit«[3]). Sed ipse Enger tali occurrit dubitationi: »quod (servi sc. verba) non esse poeticum figmentum inde apparet quod postea musae revera introducuntur canentes«. Non licuit Engero ipsa Agathonis verba sententiae suae comprobandae adhibere, quoniam in vulgari requiescebat lectione *ἄγε νυν ὅλβιζε Μοῦσα.* Quomodo Agatho si Musarum chorum appellaret singulari forma uti poterat? Sed recte fortasse hanc difficultatem expedivit U. de Wilamowitz[4]) *ἄγετ᾽ ὦ*

---

vere is qui ceteris sententiam suam probat *νικᾷ.* (cf. 305 sqq.: *καὶ τὴν δρῶσαν τὴν τ᾽ ἀγορεύουσαν τὰ βέλτιστα περὶ τὸν δῆμον τὸν τῶν γυναικῶν ταύτην νικᾶν.*)

[1]) l. l. p. 24 sq.

[2]) l. a. p. 112.

[3]) Eadem deceptus re falso Schoenborn vocabulo *θριγκούς* (v. 57) ad scenae conspectum definiendum usus est contra quem recte Droysen p. 70 affirmat »Aristophanem illud verbum pro *θύρα* servo dedisse, ut exprimeret, poetica heri vi servum infectum esse«.

[4]) *Isyllos von Epidaurus, Berlin 1886 p. 156 sq.*

κλήζετε Μοῦσαι scribendo. Concedamus igitur revera Musas Agathoni respondentes fingi.

Altera oritur quaestio utrum omnino chorus aliquis chorica illa canat an solus Agatho et chori et actoris partes agere putandus sit; hac enim ratione antiquitus scholiastae locum interpretati sunt: ὁ Ἀγάθων ὑποκριτικὰ μέλη τινὰ ποιεῖ· ἀμφότερα δὲ αὐτὸς ὑποκρίνεται. — μονωδεῖ ὁ Ἀγάθων ὡς πρὸς χορὸν οὐχ ὡς ἐπὶ σκηνῆς ἀλλ' ὡς ποιήματα συντιθείς, διὸ καὶ χορικὰ λέγει μέλη, αὐτὸς πρὸς αὑτόν, ὡς χορικὰ δέ[1]). Omnes fere[2]) hanc interpretationem ut ineptam repudiaverunt; mihi quidem rectissima videtur esse et plane necessaria, si modo id quaerimus, quid naturae comoediaeque magis sit conveniens et Aristophane dignum. Agatho in Thesmophoriazusis tantummodo ad eum finem ut illudatur inducitur. Qua ratione id melius poterat fieri, quam ut Aristophanes tragicum spectatoribus ante oculos poneret, nescio quam novae tragoediae partem mente concipientem[3]) atque ridicule et histrionis partes et chori agentem[4]).

Hunc commenticium Agathonis chorum Zielinski quasi fragmentum fabulae amissae in Thesmophoriazusis α restare arbitratur. Nam multo graviores partes in »Calligenia« iste Musarum chorus egit. Chorus Thesmophoriazusarum β Zielinskii sententia in duo hemichoria erat divisus, quorum alterum sicut in superstite fabula feminae mortales, alterum vero novem Musae et — tres Gratiae, nam numerus duodecim choreutarum aliquo modo explendus est, efficiebant. Mirum Calligeniae chorum, qui in tot varietur formas! Duodecim mulieres mortales, novem Musae, tres Gratiae de Euripide decertant. Qua de causa famulus Agathonis, siquidem eius verbis Musas debemus, de Gratiis tacuerit parum video. Dubito num Zielinski ullo alio exemplo tale chori monstrum probare possit.

---

[1]) ὡς χορὸς δέ Wilamowitz.

[2]) Praeter Wilamowitzium l. l. p. 155 sq. et Anderssonem, Quaestiones scenicae diss. Lundae 1878 p. 9.

[3]) Thesm. 49 sqq.: μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων

. . . . . .

δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς.

[4]) Recte schol.: ὡς χορὸς δέ. Nimirum Agatho vocem variat motusque choricos imitatur.

Sed quid opus est exemplis, cum homo doctus duabus causis gravissimis nitatur?

Alteram affert Zielinski ex insigni Thesmophoriazusarum β fragmento[1]):

μήτε Μούσας ἀνακαλεῖν ἑλικοβοστρύχους
μήτε Χάριτας βοᾶν εἰς χορὸν Ὀλυμπίας·
ἐνθάδε γάρ εἰσιν ὥς φησιν ὁ διδάσκαλος.

»*Hier*«, inquit Zielinski, »*sind die Musen und Chariten, meint der Chor, also auf der Orchestra, unter den Choreuten, leibhaftig, nicht etwa bildlich*«. Valde a veritate aberravit homo doctus. De recta fragmenti interpretatione nullo modo potest dubitari, dummodo accuratius quam Zielinski quem in amissa fabula habuerit locum quaeramus. Prae ceteris autem suprema verba *ὥς φησιν ὁ διδάσκαλος* fragmentum ex epirrhemate repetitum esse aperte ostendunt. Poeta ut saepius eodem loco de poesi sua verba facit; negat Musas et Gratias e more communi arcessi oportere, cum in suo carmine, in eis quae spectatorum oculis subiciat eas versari glorietur. Si recte Zielinski locum intellexisset, quid sibi vellent verba *ὥς φησιν ὁ διδάσκαλος*? Si spectatores Musas Gratiasque in orchestra tanquam chori partem conspiciunt, quid opus est propria illa poetae affirmatione? Vides praeclarum fragmentum nil aliud esse nisi facete quoddam atque superbe Aristophanis dictum. »Sed nisi alia, »inquit Zielinski«, in eis verbis sententia lateret, inepta essent quaeque de quavis fabula haud minus apte dici potuerint«. Certe cuivis Musarum sacerdoti idem pronuntiare licuit, sed uni primo dicendum erat: Aristophani laudi tribuitur, quod princeps praeclare dictum quasi forma signavit.

Restat ut alteram Zielinskii causam confutemus, qua omnem dubitationem amovisse sibi videtur. Ad Euripidis vitam compilandam grammaticus nescio quis Thesmophoriazusis hoc modo abutitur[2]): *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι [αἱ] γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ βουλόμεναι ἀνελεῖν· ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν.* Duas igitur

[1]) Kock com. Att. fragm. 344.

[2]) Euripidis fabulae rec. Kirchhoff, Berolini 1867 p. IX.

affert grammaticus causas, quibus adductae mulieres Euripidi pepercerunt. In superstite fabula tantummodo altera — *βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν* — exstat; alteram in amissa comoedia cum illa coniunctam fuisse necesse est; ergo in »Calligenia« Euripidem revera a Musis[1]) defensum esse efficitur. Haec est Zielinskii sententia. Omisit homo doctus tumidioris grammatici dictionis rationem habere, qui dubito an haec solum exprimere voluerit: *ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διότι ποιητὴς ἦν καὶ Μουσῶν ἱερὸς, ἔπειτα δὲ κτλ.*[2]). —

Thesmophoriazusas Zielinskianam — nam Aristophanea nunquam fuerunt ea, quae h. d. de Calligeniae argumento et structura suspicatur — amplius persequi desisto, cum fundamenta putria esse ostenderim. Illud certe vel eis quae disserui demonstrasse mihi videor, Zielinskii de Thesmophoriazusis *β* opinionem per se suspectam quia praeiudicata est non modo non comprobari eis quae de retractatione fabulae statuit, sed infringi prorsus atque debilitari. —

---

[1]) Quonam Gratias Zielinskianas grammaticus subduxit?

[2]) Fritzsche p. 537 recte vertit: Musarum amore. cf. ad dicendi rationem Anth. Palat. VII, 25: *τὸν ἄφθιτον εἵνεκα Μουσῶν | ὑμνοπόλον.*

Vita.

Guilelmus Marius Lange natus sum Flensburgi a. d. VI Id. Octobr. 1864 patre Friderico Guilelmo quem abhinc XI annos mortuum esse lugeo, matre Jensina Christina e gente Hansen. Fidei adscriptus sum evangelicae.

Annum agens sextum decimum adii gymnasium Flensburgense quod auspiciis florebat Alberti Mueller bene de me meriti et nunc floret. Postquam vere a. 1886 maturitatis examen sustinui Gottingam me contuli ut philologicis studiis operam navarem.

Anno 1888 patriae funesto sub tribus Germaniae imperatoribus stipendia feci. Per reliquos octies senos menses me docuerunt viri doctissimi Gottingenses Dilthey, Heyne, Langė, Leo, Meyer, G. E. Mueller, Roethe, Sauppe, de Wilamowitz-Moellendorff. Regii philologorum proseminarii sodalis fui per quattuor semestria, senior per unum moderantibus Meyero et Wilamowitzio, seminarii philologici sodalis ordinarius per duo semestria, senior per unum rectoribus Leone, Meyero, Sauppio; idem Sauppe in seminarium paedagogicum me recepit. Regii seminarii Germanici sodalis fui per bis senos menses regentibus Heynio, Muellero, Roethio. Exercitationibus ut interessem archaeologicis Dilthey, philologicis de Wilamowitz-Moellendorff et Leo, Germanicis Roethe benigne permiserunt.

Quibus viris omnibus iustas ac debitas refero gratias neque quanta erga me fuerint benevolentia et liberalitate unquam obliviscar.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

Lithomount
Pamphlet
Binders
Gaylord Bros. Inc.
Makers
Syracuse, N. Y.

Aristophanes Thesmophoriazusae236040
Author Lange, Wilhelm
Title Quaestiones in Aristophanis Thesmophoriazusas.
LGr.
A716t
YL

DATE. NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU